DE

POLYPIS UTERI.

COMMENTATIO

MEDICO-CHIRURGICA

AUCTORE

CAROLO GUILELMO MAYER

MED. ET CHIR. DOCTORE,

ACCEDIT TABULA AENEA.

BEROLINI, MDCCCXXI.
TYPIS FEISTERIANIS.

VIRO
ILLUSTRI, GENEROSISSIMO, EXPERIENTISSIMO
EL. DE SIEBOLD,

PHILOS. MED. CHIR. ET ART. OBSTETRIC. DOCTORI, IN UNIVERSITATE LITTER. BEROLIN. MED. ET ART. OBSTETRIC. PROFESS. PUBL. ORDIN., INSTITUTI REGII OBSTET. CLINIC. DIRECTORI, REGI BORUSSORUM A CONSILIIS INTIMIS, ORDINIS REG. AQUILAE RUBRAE, ORDINIS HANNOVER. GUELPHOR EQUITI, REG. COLLEGII MEDICO-TECHN. PRIMAR. MEMBRO, ACAD. REG. NATUR. CURIOS., SOCIETAT. MEDIC. AEMULANT. PARIS., PHYSIC. ET AMICOR. ART. OBSTETRIC. GOETTING., ERLANG., JEN., HANNOV. ETC. SODALI.

PRAECEPTORI SUO, OPTIME DE SE MERITO,

UT

GRATI ANIMI PALAM EXISTAT TESTIMONIUM

HAS

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

Lectoribus.

Plures uteri polyporum exstirpationes ab Ill. E. de Sieboldio, praeceptore meo ad cineres usque pie colendo, forficis ope institutae et prosperrimo stipatae successu, quem Ejus benevolentia observare mihi contigit, eo me adduxerunt, ut in dissertatione inaugurali dicta, hanc operandi methodum, ex Levreti inde temporibus improbatam, et novissime hac in urbe palam impugnatam, ac prouti mihi quidem visum fuit, summa cum injuria repudiatam, in pristinum justumque dignitatis locum restituendam susceperim. Operationis expositioni brevem omnis aevi ad Levretum usque auctorum, qui de polypis aliisque morbis propinquis egisse mihi videbantur, quosque mihi comparare potui, recensionem, nec non levem aegritudinis et reliquarum eam curandi methodorum adumbrationem, quo scholae solitam tribuerem speciem praefixi; et ad calcem, ut quae affirmavi experientia probarem, praeter observationes supra dictas, unicam etiam operationis a me ipso nuperrime institutae historiam, breviter enarravi: Ill. de Sieboldii tandem forficem, et Ribkii ad polypos deligandos instrumentum, quemadmodum in usus meos immutavi, in tabula adjecta delineanda curavi.

Polypi vocabulum, etsi quadam ratione haud immerito vituperatum, tamen servavi, utpote a Ruyschio inde usurpatum, omnibusque hodiedum notissimum.

Jam, L. B., opusculum, quod multis, quae mihi in regio hujus Universitatis instituto obstetricio Assistentis (ut loquuntur) munere fungenti imposita sunt, negotiis distentus, horis pauculis subsecivis conscripsi, benevolo accipias animo, et me haud omnem de uteri polypis doctrinam fuisse expositurum, probe memineris, quaeso.

§. 1.

Definitio.

Polypus uteri est excrescens anorganicum, plerumque subrotundum, superficie laeve, magnitudine ac firmitate varium, ex aliquo superficiei uteri internae loco, aut ex ejus cervice petiolo vel tenuiore, vel crassiore emergens, ejusque tunica intima vestitum.

§. 2.

Doctrinae historia.

Hunc uteri morbum, a recentioribus demum accuratius descriptum, veteres latuisse, Levreto 1) affirmanti facile credam, nam ipsa uteri humani anatomia parum iis innotuit, nec veterum scripta evolvens, ad Aëtium usque, qui nostri morbi luculentius meminerit, quemquam inveni. Sed arridet Astrucii 2) aliorumque conjectura, multos eorum polypos observatos inter molas habuisse, quod eo minus videtur mirum, cum ipsa in externa uteri superficie inventa excrescentia hinc inde molarum nomine venisse, ex Joannis Marquardi observatione a Boneto 3) nobiscum communicata affatim appareat. Quare cum po-

1) Levret, observations sur les causes et les accidens de plusieurs accouchemens laborieux. Paris. 1770. p. 843 haec habet: „la plûpart des anciens connoissoient mal, disons mieux, qu'ils ne connoissoient point ces maladies. Je le prouve par les contradictions manifestes, que l'on rencontre dans leurs écrits, comparés les uns avec les autres."

2) Johann Astruc, Abhandlungen von den Frauenzimmerkrankeiten, übersetzt von Otto. Dresden, tom. V. 1776 p. 237.

3) Theoph. Boneti, sepulchretum s. anatomia pract. lib. III. Sect XXXVII. Genev. 1769 pag. 1359.

lyporum historiam a primis hujus doctrinae incunabulis repetere haud visum fuerit inutile, haec inter molarum descriptiones non sine eventu quaesivimus, ut ex sequenti auctorum recensione elucebit.

Quos inter Hippocrates primus videtur, de mola enim disserens, ejus signa ita depingit 1): „nihil autem in ventre movetur, neque in mammis lac innascitur, pectus vero turgescit: haec biennium saepe etiam triennium sic affecta est et siquidem una caro nascatur, mulier perit, neque enim superesse potest.“ Cui hic polypi non veniant in mentem? Columellam autem, (κίων,) cujus in morbis mulierum et in libro de natura muliebri mentionem fecit 2), non huc, sed ad clitoridis morbos potius pertinere, paullo post videbimus.

Celsus in capite de obscoenarum partium vitiis 3) de ani et vulvae fungis disserit, quos quidem auctores ad polypos referendos esse crediderunt. Haec autem habet: „fungo quoque simile ulcus in eadem sede nasci solet;“ de ulcere igitur fungoso, luxuriante loquitur, quod longe a polypo distat.

Plinius 4) molam carnem informem, inanimam, ferri ictum et aciem respuentem nominat, quae movetur sistitque menses ut partus, alias letalis, alias una senescens, aliquando alvo citatiore excidens: quae omnia fere ad polypum quadrare nobis videntur,

Aretaeus 5) in libro de uteri affectibus fluorem album et rubrum, scirrhum et carcinoma, prolapsum et inversionem tractat, sed de polypis similibusve excrescentibus nullus sermo, nisi sequentem huc trahere velis locum: „In ulcere uteri nonnunquam caruncula quaedam separata egreditur, neque ad cicatricem ulcus id ducitur, sed longissimo tempore hominem tollit, nam maxime diutur-

---

1) Hippocratis, opera omnia ex edit. Foës. Genev. 1657. De morb. mulier. lib. I. p. 618.

2) de morb. mulier. lib. II. p. 675, edit.cit. In Lindenii versione latina, (Lugd. Batav. 1665 pag. 615. additamentum hic exstat: „columellam vero resecare oportet,“ cujus in omni editione Graeca ne vestigium quidem est.

3) A. Corn. Celsus, de medicina. Cap. XVIII. 11, Lips. 1766.

4) E. Plinii natur. histor. tom. I. lib. VII. Paris. 1741. pag. 382.

5) Aretaei Cappadocis de caus. et sign. acut. et diuturn. morbor. Lugd. Bat. 1735. De caus. et sign. morb. diuturn. Cap XI.

num est." Sed caruncula haec ad excrescentia potius fungosa pertinet, de quibus infra §. X sermo incidet.

Moschion 1) περὶ οἰδήματος, περὶ σκληρίας, περὶ ὀδύνης, περὶ μύλου, περὶ παντῶν τῶν κατακλίσεων τῆς μήτρας disserit, nusquam autem excrescentia commemorat, quae polypis adnumerare possis: nec cum mola confundere potuit, ejus enim mola totius uteri induratio est.

Galenus sine dubio etiam pro molis eos habuit, quas informem carnem in utero gestatam appellat 2), quae descriptio polypos haud secludit.

Oribasius 3) in synopsi nullius morbi, cui cum polypis uteri similitudo esset, meminit.

Aëtius primus uteri polypum accuratius cognovisse videtur, haec sane ejus verba id indicare videntur 4): „Nonnunquam in quibusdam mulieribus carnosa quaedam substantia muliebre pudendum replens ab ore uteri exoritur et interdum et extra progrediens asininae caudae similis, unde etiam nomen sumsit." Mittas illam cum cauda asinina similitudinem et vix dubitare poteris, eum revera de polypis nostris locutum esse: dolendum vero, illum cetera morbi symptomata plane praetermisisse.

Paulus Aegineta 5) procul dubio Aëtium secutus est, nam eadem fere hac de re dicit: „caudam, (κέρκωσιν,) quae carnosa ab uteri osculo excretio est (σαρκώδης ἔκφυσις) et muliebre pudendum replet, aliquando vero etiam ad externas partes instar caudae prominet, similiter ut nympham resecare oportet: nymphae autem nomine Hippocratis columellam designavit.

Albucasis 6) eundem morbum aegritudinis caudatae compellatione habet. Caro, inquit, saepius nascitur in orificio matris, donec impleat ipsum et nonnunquam egrediatur ad exteriora secundum similitudinem caudae.

---

1) Gynaecia Israëlis Spachii. Argentin. 1597. ΜΟΣΧΙΩΝΟΣ περὶ γυναικείων παθῶν βιβλίον.
2) Galeni, opera omnia, de usu part. Cap. VII. Basil. 1562.
3) Oribasii Sardiani Synopsis. Venet. 1554.
4) Aëtii Tetrabiblion lib. XVI. Cap. 106. Venet. 1534.
5) Pauli Aeginetae totius rei medicae libri septem. Basil. 1556. lib. VI. cap. IXX.
6) Gynaecia Spachii, pag. 442. Albucasis medendi Method. lib. II. c. LXXI.

Eros. s. Trotula 1) de carne in matrice oriente paucis tantum loquitur: „Sunt quaedam mulieres quibus frusta carnis pendent in matrice et nota, quod hoc eis contingit ex spermate intus retento et infuscato, quia post coïtum se mundificant;“ de ejus autem signis ac decursu nihil quoque reliquit: fortasse illam Aëtii et Pauli caudam indicare voluit.

Ambrosius Paraeus 2) caudam Aëtii, quod valde miror, omnino omisit, et nullorum uteri contentorum morbosorum, nisi molarum mentionem fecit. Quae autem de quadam earum specie dixit: esse carnem informem, rotundam et duram, cui non raro fluores ingentes superveniant, quae nonnunquam uteri parietibus acetabulisque firmissime adhaeret et quatuor vel quinque annos, interdum et totam vitam in utero gestatur, verosimillimam denuo nostram reddunt opinionem, non tantum antiquissimos sed et paullum posterioris aevi auctores polypos a molis haud discrevisse.

Guillemeau 3) polypos nostros optime describit, sed molas pendentes vocat. „Est praeterea et aliud sarcoma, quod molam dicas pendentem, ex interno uteri ore, nonnunquam penitus foras propendens, massa est carnosa, quae ubi affigitur, digiti habet crassitudinem, dein vero paullatim augescit ambitu, ut et magnitudine et forma pyrum vel campanulam referat.“ Narrat quoque, se id in mulieribus nuptis, sed et in virginibus vidisse.

Fabricius ab Aquapendente 4) in operibus chirurgicis vitia commemorans, quorum causa feminae concubitum non admittant et conceptio impediatur, iis, cum Paulo, carnem uteri orificio adnatam adnumerat, quae ab utero proveniens deorsum per totum pudendum et vaginam producitur, ita ut extra vulvam propendeat.

Hieronymus Mercurialis 5), veterum sententias de uteri morbis diligenter colligens, inter caudam et nympham cum iis distinguit. Cauda Aëtii

---

1) Gynaecia Spachii, pag. 42. Erotis medici liberti Juliae, Muliebrium liber Cap. XXIV.
2) Gynaecia Spachii, p. 423. Ambrosii Paraei, de hominis generatione Cap. XXXIV.
3) Jac. Guillemeau oeuvres de Chirurg. Paris 1589. lib. I. Cap. IV.
4) Hier. Fabric. ab Aquapendente opera chirurgica. Lugd. Bat. 1723. p. 569.
5) Gynaecia Spachii p. 286. Hieron. Mercurialis de morb. muliebrib. lib. IV. Cap. XIII.

et Pauli κέρκος, κέρκωσις aegritudo caudata Albucasis, in orificio uteri ipso enascitur, ingressum et egressum seminis impedit et fortasse, ut supra jam innui, polypus fuit: quod tamen, cum de ejus signis nihil referat, incertum manet. — Nympha Aëtii, κλιτορὶς, ὑποδερὶς Rufi Ephesii, κίων Hippocratis, tetigo Albucasis, virga Avicennae, symptoma turpitudinis Moschionis, supra alas uteri, ubi pudenda committuntur et meatus est urinarius, sedem habens, secundum Osiandri sententiam, praeputium clitoridis morbose auctum fuit, secundum alios clitoris insolitae magnitudinis, qualem unquam inventam esse Osiander 1) omnino negat. Non ita autem plane observationes Hucheri 2), Tulpii 3), Plateri 4), Tronchini 5), Borgehlii 6), Riolani 7), Mohrenheimii 8) rejici posse videntur. Tribuunt hi auctores clitoridi auctae non solum sensum magis acutum, sed etiam erectionem, qualis coli virili convenit, quo ejusmodi mulieres ad ipsum coïtum cum aliis mulieribus celebrandum aptas fuisse narrant. Et Meisnerus 9) in libro qui nuper prodiit, de clitoride praegrandi disserit, quam in meretricibus et olim praesertim in puellis vestalibus occurrisse contendit.

Rodericus a Castro 10) in capite de nymphaea sive symptomate turpitudinis, sicuti auctores laudati inter nympham et caudam distinguit, in nympha mulieri-

---

1) Osiander, Handbuch der Entbindungskunde. Tübing 1818. 1. Band 1. Abth. S. 145.
2) Joh. Hucherus, de sterilitate utriusque sexus. Colon. Allobrog. 1610. lib II. p. 328, de cleitoride.
3) Nicolai Tulpii, observationes medicae, Lugd. Bat. 1716. lib. III. Cap. XXXV. τρίβας sive fricatrix.
4) Gynaecia Spachii. Felicis Plateri observat et curat. aliquot affectuum partibus mulieris generat. dicatis accedeut. Excrescentia in pudendo.
5) Tronchin dissertat. de clitoride. Lugd. Bat. 1736.
6) Borgehl, dissert. de sterilitate. Lugd. 1696.
7) Riolanus anthropol. lib. II. p. 188.
8) Joseph v. Mohrenheim Abhandl. über d. Entbindungskunst Leipz. 1803. 2. Thl. p. 15, von dem Zünglein.
9) Fr. Ludw. Meisner über die Unfruchtbarkeit d. männlichen u. weibl. Geschlechts. Leipz. 1820. p. 108.
10) Roderici a Castro Lusitani, de universa muliebrium morbor. medicina. tom. II Hamburgi 1617. lib. II. Sect. III. Cap. XVIII.

bus nimium est coëundi desiderium, in cauda accessum timent, nec tolerare queunt, quia impeditur penis ingressus: hanc se in puellula unius anni observasse narrat.

Fabricius Hildanus 1) molam se invenisse refert, utero petiolo tenaciter adhaerentem, quam polypum fuisse cum Nissenio affirmo.

Zacutus Lusitanus 2) caudae et nymphae mentionem quidem fecit, sed iis, quae Aëtius jam retulit, nihil novi adjecit.

Lampzweerde 3) in monographia de molis, inter molas generationis et nutritionis distinguit. Molas nutritionis carnea excrescentia esse designat, quae ut atheromata et steatomata in aliis partibus ex alimentoso sanguine enascantur, hinc etiam in virginibus inveniri possint. Nonne hisce molis maxima cum polypis similitudo?

Cornelius Stalpartus van der Wiel 4) cum Paulo Zachia inter viventem vitaque carentem ac plantae modo nutritam molam distinguens, illam vix absque coitu, hanc autem illaesa quoque pudicitia, sed rarius produci statuit et ipse conjecturam nostram de polyposa inanimis hujus molae natura comprobat, injecta quaestiuncula: „Quidni in utero ut in naso, aliisque corporis humani partibus, rudis, indigestaque carnis massa, polypo narium similis, produci possit?"

Nicolaus Tulpius 5) primus observationem de polypi, ab ipso fungum appellati, felici exstirpatione nobiscum communicat, talemque fungum depinxit, additque: „quodsi vero vulvam occupat, irritat illam continenter et effundit men-

1) Fabricii Hildani, opera medico. chirurg. Francof. 1647. Cent II. obs. 55.

2) Zacuti Lusitani opera. Lugd. 1657. tom. I. lib. III.. hist. VIII. Ille autem tumor, cujus tom. II, in observatione LXXXVI libri II praxis medicae admirandae mentionem fecit, certe excrescens fungosum fuit, quod causticis et forcipe secanti incaute curatum mortem adduxit. Vix autem a veritate discedere mihi videor, si contendo, uterum illum delapsum et ferro feliciter exstirpatum nihil nisi polypum fuisse. Observ. LXXXV.

3) Joh. Bapt. de Lampzweerde, historia naturalis molarum uteri. Lugd. Bat. 1686.

4) Corn. Stalp. v. d. Wiel, observat. rarior. med. chirurg. anatomic. Lugd. Bat. 1687. observ. LXXIII. p. 320.

5) Nicolai Tulpii, observat. medicae. Lugd. Batav. 1716. lib. III, Cap. XXXIV. Alius autem fungus, cujus Cap. XXXIII. meminit, qui exstirpatus post anni curriculum denuo increvit cum profluvio purulento et continuo foetore, excrescens fungosum (§. 10.) fuisse videtur.

menstrua ipsius non minus copiose ac si instaret verus partus, a quo tamen fixus hic tumor minime quum expellatur, necesse est tandem confugere ad scalpellum et ejus ope radicitus evellere".

Ruyschius 1) molas omnino fere rejicit, omnesque ad uteri excrescentia pertinere contendit. Haec habet: „Verosimile est, molas ita decantatas nil aliud esse, quam uteri excrescentias aut placentulas retentas et ab utero, uti supra innui, compressas." Ipse primus voce: „polypus" ad designanda haecce excrescentia utitur, (quae ceterum in naso et in faucibus obvia, jam ab Hippocratis temporibus ita sunt compellata), pergit enim: „quas excrescentias ob similitudinem cum polypis narium eodem nomine apte vocari posse putamus."

Heisterus 2) in capite de molis: „ aliae per unam, ait, alteramque venam aut fibram carneam cum utero conjunctae sunt, aliae denique firmiter admodum ipsi adhaerescunt" et Hildani ac Guillemeau observationes, quas in veris polypis fuisse institutas supra jam monstravimus, exemplorum instar allegat.

Carolus Musitanus 3) polypos adhucdum inter molas posuisse videtur, plurium enim molae specierum descriptiones satis in polypos quadrant. En ipsius verba: „altera species est caro informis sine ossibus, nihil certi referens, venis tantum referta et cute vel membrana obducta, alias membranosa et fibrosa magis est, et quidem interdum ita viscida et tenax ut ferro cedat." In earum prognosi haec habet: „Ubi vero unica et solidor massa est, plerumque in vitae periculum foeminas conjicit, cum vel non, vel non sine insigni difficultate excludatur et ob partium uteri dilacerationem insignes haemorrhagiae sequantur, quae cum sisti nequeant, foeminis interitum afferunt."

Dionisius 4) ubi in suis operibus chirurgicis de operationibus, quae in utero possunt institui, loquitur, de cercosi agit, quam excrescens vocat carnosum, uteri orificium, ex quo egreditur, obstruens, quodque multam cum polypis habeat similitudinem.

1) Ruyschii opera omnia. Amstelod. 1721. observ. LVIII.
2) Laurentii Heisteri, institutiones chirurg. Amstelod. 1739. pars II. Sect. V. Cap. CLVI. p. 1082.
3) Carol. Musitani de morbis mulierum tractatus. Venet. 1738. Cap. XII.
4) Dionis cours d'opérations de Chirurgie. Paris 1740. p. 282.

Morgagnius 1) in opere suo notissimo de uteri excrescentiis loquitur: sunt aut exteriores, aut interiores: ad interiores spectant praeter tubercula parva, ab eo in fundo uteri puellae diu fluore albo laborantis observata, et praeter alias verrucis similes, excrescentiae variae, forma inter se differentes, pedunculo utero affixae, minusque durae, quam uteri substantia, quas ipse polypis Ruyschii adnumerat.

Levretus tandem primum peculiarem de polypis conscripsit tractatum 2), eorumque pathologiam et curam uberius exposuit. Ab eo inde tempore frequentiores polyporum observationes variis scriptis 3) palam factae sunt, nec non et in monographiis permultis et in libris de mulierum morbis saepissime de iis actum est.

§. 3.
Structura.

Polypi uteri sunt jam molliores, spongiosi, plus minusve cavernosi, jam duriores, quorum parenchyma est solidius, compactum, firmum, caseosum, cartilagineum; non raro utrique in medio excavati fluidum quoddam mucosum vel lymphaticum continent: rarissimi sunt, qui tenuioribus parietibus lympham includentes, tumorum cysticorum speciem prae se ferunt, quales polypi vaginae esse solent. His varietatibus innixi recentiorum plures varias proposuere polyporum divisiones. Mendeus 4) carnosos, petiolo tendineo instructos, mucosos; — Starkius 5) spongiosos, lamellosos, tubulosos habent: Walterus 6) pro varia uterorum indole vel laxos vel rigidos vel condensatos eos appellat: et quae sunt ejusmodi. Parum vero haec ad polyporum tum nosologiam, tum ad eorum cu-

---

1) Jo. Bapt. Morgagni, de sedibus et causis morbor. per anat. indagat. Venet. 1761 tom. II. epist. XLVII. 27.
2) Levret observations sur la cure de plusieurs polypes de la matrice etc. Paris 1771.
3) vide Ploucquet Initia biblioth. medico pract. et Literaturae medicae digesta. Polypus.
4) L. J. C. Mende, die Krankh. d. Weiber etc. Berlin 1811. 2. Th. p. 158.
5) Joh. Christ. Stark, Archiv für die Geburtsh., Frauenzimmer- und neugeborner Kinderkrankh. 1. B. 3. St. p. 5. Jena. 1788.
6) Fr. Aug. Walter, annotation. academ: Berol. 1786. De polypis p. 20. sq.

ram stabiliendam facere videntur. Polypi non ut uteri sarcomata et steatomata, quae vel in parenchymate uteri ipso, vel in ejus superficie externa occurrunt, ex uteri contextu enascuntur, sed potius inter eum et membranam intimam, ex lympha ad coagulationem prona ab ultimorum vasorum fine transmissa formantur, eaque magis magisque accumulata pedetentim crescunt, plus minusve condensantur et uteri membrana intima extensa vestiuntur. Digito exploranti eandem, quam uterus ipse, offerunt superficiem laevem, quia idem utrique est indumentum, quod tamen in majoribus polypis, qui diutius jam ex utero egressi, in vaginam prominent, in parte inferiore saepenumero laceratur, unde superficies fit inaequalis et floccis quasi adspersa, nec raro fissuris ac sulcis incisa.

Varia directione dissecti ostia majora vel minora hiantia ostendunt, quae Levretus 1) et alii eum sequentes, quod experientiae suae concordare credebant, ostia arteriosa jure quodam sibi videbantur compellare. Quae quidem Cel. Levretus observavit, negare, vix unquam mihi in mentem veniet, Astrucii 2) vero observationibus, qui vel nervos in polyporum parenchymate vidit, non magnam fidem habendam esse contendam. Vacoussanius 3) etiam se vasa arteriosa non solum in polypis exstirpatis vidisse sed et arterias pulsantes ante ligaturam in polypi petiolo sensisse narrat, quod et Pallasius 4) observavit. Quis vero, auctoribus pulsationem in proprio digito explorante, valde extenso atque polypo adpresso perceptam, uti facile fieri potest, non pro polypi arteriae pulsatione imposuisse, omnimode erit persuasus? Quod sane dubium, ne in re tam gravi hisce observationibus certi quid possimus superstruere, eo magis impedit, quod multo plurium auctorum observationes contrarium innuentes exstant. Ita Starkius 5) qui multos ligavit polypos uteri, nunquam pulsationem obser-

1) Levret, Kunst d. Geburtsh. 2ter Theil p. 211.

2) Astruc, Abhandl. 3. Th. S. 240.

3) Levret, Kunst d. Geburtshülfe übers. v. Held. 2r Th. S. 211. Observ. VIII.

4) Pallas, Chirurgie od. Abhandl. v. d. äusserl. Krankh. Berlin 1776. p. 309. Anmerk.

5) Stark, Archiv. I. 3. p. 3. Anmerk. haec habet: Alle haben in ihrem innern Körperbau Kanäle und werden von ihnen durchhöhlt und mannigfaltig durchkreuzt, doch sind es keine vollkommenen Blutgefäſse, denn sie lassen sich nicht separiren von der andern Masse, die mit dem äuſsersten Rand von einerlei Fasern gebaut ist. Pulsiren habe ich auch nie während der Operation oder während des Untersuchens wahrnehmen können.

vavit, eorumque structuram examini accuratiori submittens, nusquam tubulos continuos, propriis membranis formatos, neque in petiolo, nec in parenchymate invenit, quare vera vasa sanguifera plane negavit et solummodo receptacula sanguinis admisit; idem et alii sentiunt auctores: Laumonierus 1) Roux 2) nunquam arterias se vidisse affirmant; Heinzius in dissertatione sua, nullam in polypo adesse sanguinis circulationem, nec arterias nec venas in ipso animadvertisse etiam probasse dicitur 3). Ill, de Sieboldius se nunquam arterias pulsantes in polypis observasse me certiorem fecit, nec ipse in iis quos exploravi, ullas sensi. Plures quoque polypos ex Sieboldii collectione cultro anatomico subjiciens vasa majora continua nulla inveni, neque unquam inter polyporum amputationem haemorrhagiam, quae dissecta arteria copiosa esse deberet, contigisse vidi.

Ex quibus omnibus haec elucere videntur: polyporum in vivis observationes, arterias si unquam, rarissime tamen occurrere docent; disquisitionibus vero anatomicis, quae prostant, ea unquam affuisse extra omnem dubitationis aleam nondum est positum; quare optandum est, ut auctores in hanc rem, quae quoad curam maximi est momenti, diligentius animum vertant et ut praesertim occasione oblata, polypos cum utero adhuc cohaerentes, cera injectos cultro examinent.

§. 4.

Decursus et symptomata.

Polypus quamprimum in uteri cavo formari et pro more lentius increscere incipit, variae uteri actionum turbae eum laborare et a peregrino corpore irritari nos admonent. Raro quidem catamenia plane disparent et graviditatis comites consecuti, nausea, vomituritiones et mammarum turgor nos fallunt, saepius menstruus fluor anomalus, praesertim consuetis periodis nimius urget. Sensim dein uterus,

1) Richter, chirurg. Biblioth. XIV. 4. St. p. 514.

2) Phil. Jos. Roux, über d. Bau d. Mutterpolyp. u. d. Anwend. der Kenntnifs derselb. auf ihre Behandlung. Samml. auserles. Abhandl. XX.

3) Benjam. Zeitmann, dissert. de Signis et curatione polyporum uteri. Jenae. 1790. p. 26.

simulque interdum ipsum abdomen, ut in observatione Baudieri 1), expanduntur, portio vaginalis mutatur, brevior fit et crassior ac tumidior, mollitie tamen, qua graviditate insignis est, Wenzelio 2) recte monente exule, duriuscula enim permanet. Simul sensationes circa genitalia gravativae, prementes, trahentes, nec raro jam alvus obstipata et urinae difficultas affligunt. Prouti jam polypi sedes, vel uteri cervici vel ejus fundo est propior, orificium prius seriusve dilatatur, ita ut polypus cervicis regioni affixus saepius vixdum digiti ambitum aequans jam egrediatur, dum alius in uteri fundo ortus per plures annos gestari et in capitis infantilis molem augeri possit, priusquam in orificio aperto appareat. Orificii dilatationem aut muci sanguine intermixti, aut loturae carnis filamentis ac frustulis membranaceis scatenti simile, aut sanguinis effluvium profusum comitari solet, adeo nonnunquam vehemens ut Saviardus 3), Dejean 4) aegrotas inde mortuas fuisse observaverunt. Clarkius 5) sanguinem hunc coagulatum, annulorum figura excretum vidit. Plerumque polypus pedetentim, comitantibus doloribus trahentibus, ex utero in vaginam descendit, nonnunquam autem aegrota vel saliente, vel cadente, aut inter alvi dejectiones, ut Nissenius 6) Burnsius 7) aliique narrant, repente totus in vaginam protruditur, quo tunc non raro uterus invertitur, molestiis inde ac periculo valde auctis. Polypus vaginam ingressus citius jam increscit et non raro in ingentem augetur molem, ita ut totum fere pelvis minoris cavum expleat, imo ex pudendo promineat. Ob-

---

1) Richter, chirurg. Biblioth. IX. 2. p. 252.

2) Carl Wenzel, Krankheiten des uterus. Mainz. 1816. p. 175. haec habet: „Auch bei den Polypen, die an dem Innern des Uterus ihren Ursprung nehmen, und rein als diese Krankheitsform bestehen, finden wir die Mündung des Uterus nicht nur aufgeschwollen, sondern selbst so hart, daſs sie sich in nichts von der Induration unterscheidet."

3) Richter, chir. Biblioth. VII. 4. p. 668.

4) Levret, Kunst d. Geburtsh. p. 251. Obs. XXV.

5) Charl. Mansf. Clarke, Beobacht. über die Krankh. des Weibes, welche von Ausflüſs. begleit. sind. I. Theil Hannover. 1818. p. 160.

6) Wolder Andreas Nissen, dissert. de polypis uteri et vaginae novoque ad eorum ligaturam instrumento. Götting. 1789.

7) John Burns the principles of midwifery including the diseases of women and children. London 1817. p. 84 et 624. Not. 55.

structio alvi, urinae difficultates in dies magis magisque vexant, ipsa saepenumero retentio urinae completa gravissimas excitat turbas. Humores mucosi, foedo odore lochia imitantes, majori semper copia e vagina profusi, haemorrhagiae frequenter hisce interpositae, dolores adaucti aegrotam exhauriunt, magis magisque emaciant: oculi concavi, facies lurida, pulsuum debilitas omnisque habitus integrae machinae clamitant labem, mox febricula adoritur, anasarca accedit et nisi tempestive feratur auxilium, mors tabe vel hydrope confectas tristi eripit spectaculo.

Ita res se habet, polypo in uteri cavo orto, ita etiam, si ex cervice oriatur, nisi quod tum dolores a polypi exclusione excitati desint, haemorrhagiae sint parciores, fluores albi e contra copiosiores et quod mole ejus nimia non inversio, sed prolapsus uteri facile procreetur.

Rarae sunt observationes Levreti 1), Vateri 2), Starkii 3), Wigandii 4), Portali 5), polyporum nutriri cessantium ac putrescentium citra artis auxilium, ab utero, integra sanitate, abjectorum: num vero, quod affirmant Burnsius 6) et Levretus 7) inflammatione eamque sequente tum suppuratione

---

1) Levret. observations sur la cure etc. p. 42. propriam observationem narrat, et in Kunst d. Geburtsh. p. 235. Marcadieri et Louis observationes nobiscum communicat.

2) Vater. dissert. de polypo post febr. epidem. ex utero egresso, in Halleri disputat. chirurg. III. No. 91.

3) Stark, Archiv. I. 3. 15.

4) Wigand, Beobacht. e. Mutterpolypen, welcher dreimal Ursache e. Abortus gewesen war, in Stark, neu. Archiv für d. Geburtsh. etc. I. 1. p. 130.

5) Antoine Portal, cours d'anatomie médicale, tome V. Paris. 1803. p. 531.

6) Burns l. c. 86. haec habet: In every instance, I believe, if the patient live long. the tumour is disposed to ulcerate. The ulcer is either superficial and watery, or it is hollowed out, glossy and has hard margins, or it is fungous.

7) Levret, Kunst der Geburtsh, 2. Th. p. 215. Levretus opinionem suam observatione a Manneo instituta tueri conatur; sed inflammatio de qua Manneus loquitur, potius mihi ad vaginam et pudenda pertinuisse videtur, nec effluvio humorum foetentium et aquosorum quidquam in hac re potest probari. Ita etiam in Dupuisii observatione (p. 248.) polypum inflammatum et suppuratum fuisse, nequaquam est demonstratum, etsi id ex profluvio purulento et foetente, qua aegrota, ex longo ceterum tempore pessario usa, effici posse videatur. Satis enim est notum, solum pessariorum male conformatorum et per annos conti-

tum sphacelo unquam tententur polypi, ex iis jam, quae de eorum diximus structura, valde videtur dubium. Polypus ceterum conceptionem, etsi id contendat Meisnerus 1), nequaquam prohibet; nam non raro in utero gravido occurrit: saepius quidem, cujus rei Wigandius 2) rarum exemplum narrat, abortum excitat; haud raro autem Levreto 3), Bachio 4), Jörgio 5) testibus foetus justo tum tempore excluditur. In observatione Bachii ipsa placenta polypo adhaesit,

§. 5.
Diagnosis.

Quodsi jam medicus ex observatis §. praecedente expositis signis, quippe ex fluoribus mucoso sanguineis, ex sensatione aegrotae gravativa in genitalibus, ex functionibus alvi et vesicae turbatis, polypum suspicetur, ad diagnosin perficiendam explorationem uteri instituat, necesse est. Haec vero tunc tantum de polypo praesente certiores nos reddere potest, cum orificium uteri internum jam tantopere est dilatatum, ut digito saltem intrare possimus; nam polypum a cavo uteri omnino inclusum, orificio uteri plane clauso et exploratio vel accuratissima non deteget. Ex mole uteri justo auctiore polypus, ceteris rebus annuentibus, obscure quidem potest divinari, sed impudentissimus sit oportet, qui ab eo, nec certe ab alia re illam extensionem pendere, velit pertinaciter contendere. Orificio vero uteri aperto in utero aucto, tumoris rotundi, laevis, sensu carentis pars percipitur. Multo certior fit diagnosis, si polypus vel ex utero jam egressus, vel si cervici uteri affixus est; explorans tunc tumorem rotundum, majorem, minoremve, sensu carentem, laevem in vagina invenies, neque minus petiolum illum tenuem, quo utero affixus est. Polypum nonnisi pro parte egressum ex utero,

---

nuo in vagina relictorum usum, neglecta, quae summopere requiritur, munditie, profluvium ichorosum teterrimi foetoris posse procreare — quod et illo in casu potuit obtinere.

1) Fr. Ludw. Meisner l. c. p. 126. haec habet: „der Polyp, Schwamm und Sarkom hindert nothwendig die Conception.

2) Stark, neues Archiv I. 1. p. 150. Wigandii observat. cit.

3) Levret, Kunst d. Geburtsh. 2 Th. p. 223.

4) Stark, Archiv, III 2. p. 506

5) Jörg, Handbuch d. Krankh. d. menschl. Weibes.

hujus orificii labiis tumidis reperies cinctum; nihilominus tamen, data aliqua opera, digitus os uteri intrare et ad locum usque, cui polypus est affixus, poterit pervenire. Si, quod polypo magno non raro accidit, ut supra jam notavi, tunica eum investiens, rupta est, tunc superficiem ejus villosam, incisam, imo interdum foramine, vel impressione os uteri mentiente munitam senties.

Durante graviditate polypus vix potest cognosci, nisi orificio uteri adhaerens: post partum autem vel prolabitur, vel expansione uteri insolita, lochiis nimiis praesentiam suam prodit et orificio uteri adhuc aperto sine magna difficultate agnoscitur.

Ad stabiliendam vero diagnosin in alios uteri affectus attenti simus oportet, qui cum haud raro mira cum polypis similitudine fallant, non vanum mihi agere videor, illorum praecipuos, quibuscum hi facilius possunt confundi, signaque, quibus distinguuntur §. §. sequentibus exponendo.

§. 6.

Uteri affectus similes. Menstrua nimia.

Excretiones mucoso sanguineae polypo peculiares, haemorrhagiae saepius intercurrentes, saepenumero jam medicos induxerunt, ut morbum pro sola catameniorum aberratione, qualis in debilibus a frequenti abortu, nec non tempore, quo ex naturae legibus menstruus fluor in perpetuum cessare solet, occurrere haud raro consuescit, acciperent, diuque incassum tractarent. Optime hic submovendis valet dubiis exploratio vaginalis, sine qua nullum mulierum morbum suscipiamus curandum oportet, in quo qualiscunque topicae genitalium affectionis suspicio potest obtinere. Ceterum ipsa jam profluvii ratio, an cum polypo an cum menstruis nimiis nobis sit res, nos poterit admonere: in illo enim mucus sanguine tinctus continuo e vagina effugit et haemorrhagiae hincinde tantum incertis omnino temporibus succedunt; in his vero sanguinis certo quodam typo contingere effluvium, accuratiore examine haud difficulter erues; aut enim una solummodo aut duabus interpositis hebdomadibus nimis cito recurrunt menses, aut longioribus intervallis rebellantes consueto diutius permanent: ipsa tandem leu-

cor-

corrhoea haemorrhagiam aut antecedens aut consequens, non est, ut in polypo, intermixta sanguine, illisque frustulis ac floccis peculiaribus.

§. 7.

Fluor albus.

Fluoris albi curam optato tam saepe carere eventu, id prae ceteris ex causarum occasionalium non habita ratione, nec non ex neglecta exploratione vaginali derivandum videtur. Contagium syphiliticum, acrimonia sive rheumatica, sive arthritica, integrae etiam machinae infirmitas malum hoc possunt allicere, quod vero ex genitalium vitiis localibus, eorum debilitate et laxitate, ex uteri vel vaginae prolapsu, ex matricis tumore haemorrhoidali, similibusque affectibus, quos inter polypi cervici affixi non infimum occupant locum, multo frequentius ducit originem, quam absque exploratione rite cognoscere non possumus. Quare qui, fluorem album curaturus, necessariam hanc explorationem nunquam omittit, facile etiam polypum praesentem tactu agnoscet.

§. 8.

Graviditas.

Catameniorum suppressio, symptomata reliqua consensualia, graviditatem alias comitari solita a polypo parvulo adhucdum, uterique cavo penitus incluso hincinde excitata, matricis foecundatae suspicionem facile posse commoveri, satis patet. Plurimum sane medici praesertim forensis interest, accuratissime haec distinguere: vix vero ac ne vix quidem exploratio vel curiosissime instituta, ut res nullam habeat dubitationem, efficiet. Consultum est, id tempori relinquere, tum enim peculiares uteri praegnantis mutationes, una cum abdominis extensione, certo notoque ordine succedentes, motus tandem infantis, graviditatem; — valetudo e contra in diem magis adversa, uteri orificium hians, humores peculiares e genitalibus profluentes polypum sine dubio prodent.

Supersedemus ulteriori signorum distinguentium a Sieboldio, 1) Zeit-

1) E. v. Siebold Handb. zur Erkenntn. u. Heil. d. Frauenzimmerkrankheiten. Frankfurt a. M. 1811. 1. Th. p. 511. §. 756.

manno, 1) Sammhammero 2) aliisque fusius explicatorum enumeratione. Non praetereundus vero est error apud Sammhammerum occurrens, qui de hisce signis disserens, portionem uteri vaginalem, dum polypus adest, longe tumidiorem, molliorem, ideoque breviorem quam in gravidis fieri contendit. Certe quidem portio vaginalis celerius brevior fit, magisque tumet in polypo, sed desunt ille graviditati turgor proprius, nec non illa portionis vaginalis mollities, quam semper in polypis duriusculam potius, ut supra §. IV. jam innuimus, invenies.

§. 9.
Mola.

Molae tum verae, tum spuriae eo praecipue a polypis differunt, quod, ut Zechinus 3) optime notavit, in omni suo ambitu cum utero sint conjunctae, sed agglutinatae modo, dum polypi nonnisi petioli ope cum eo conjungantur, ex parvulo vero hocce ejusdem superficiei loco revera emergant, ejusque tunica intima, qua molae destituuntur, sint vestiti.

Molae verae e vera conceptione, ovuli immutatione morbosa; spuriae ex alio germine, ex placentae frustulo relicto, ex sanguine coagulato similibusve, in quibus paullatim structura organica excolitur, originem ducunt, utero deciduae ope affiguntur, celeriter increscunt, ceterum et abdomen expandunt et aliquot post menses, pariter ac foetus praematurus, haemorrhagia comite ab utero abjiciuntur: interdum diutius gestari dicuntur, gestatio autem in annos protracta valde dubia, polypis fortasse male cognitis imputanda est.

Mola, qualiscunque sit, uterum praeter consuetudinem irritat, menstrua suspendit, cunctaque et graviditati verae et polypo orienti phaenomena excitat communia: quae sane omnia initio adeo sunt obscura et confusa, ut qui ab invicem acute separet ac discernat vix invenietur unquam. Molam adultam magis, quamque diutius observaveris, sequentibus signis a polypo distingues. Multo

1) Benj. Zeitmann, diss. cit. p. 16.

2) Carol. Francisc. Sammhammer, diss. sistens impedimentorum pathologicorum graviorum diagnosis graviditatis uterinae commentationem. Vratislav. 1819. p. 15.

3) Ad. Lud. Zechin, specim. inaug. de molarum conformatione. Götting. 1818.

polypo celerius et increscit et abdomen expandit mola, portio vaginalis tum quoad formam, tum quoad reliquam conditionem citius mutatur, breviori temporis spatio abbreviatur, tumefit ac mollescit, eoque polypo facilius graviditatis suspicionem movet: orificium uteri clausum permanet ad exclusionis tempus usque, quo mola inter phaenomena abortui similia, inter dolores vehementes, nec ut in polypo fieri solet, pedetentim vaginae intruditur, sed penitus simul abigitur, absunt quoque, quae polypum comitantur, variorum humorum effluvia.

§. 10.
Excrescentia fungosa.

Excrescentia fungosa, (fungi haematodes, a Jüngkenio 1) nomine molarum singularium designatae, „les vivaces“ Levreti 2), polyporum malignorum apud Mendeum 3) species,) ab Herbiniaux 4) Wenzelio 5) Clarkio 6) multisque aliis observatae et descriptae tum ex superficie interna, tum ex cervice uteri morbosi, indurati, scirrhosi enascuntur. Sunt excrescentia spongiosa, luxuriantia, ad tactum mollissima, non dolentia, sanguinis vel loturae carnis inodorae magnam copiam effundentia, quorum duas invenimus species: altera rarior solida, unicam tantum molem globosam, mollem sistit; 7) altera multifida, „les

1) Ephemer. Nat. Curios. Cent. I. et II. observ. XXI. Francof. et Lips. 1712
2) Levret, Kunst d. Geburtsh. 2. Th. p. 277.
3) Mende l. c. p. 186.
4) Herbiniaux, traité sur div. accouchem. laborieux et sur les polypes de la matrice. Bruxelles. 1782.
5) Wenzel, l. c. Cap. XV.
6) Clarke, l. c. p. 163.
7) En historiam hujusmodi excrescentis fungosi solidi, quod nuper forfice Sieboldiana exstirpavi:
W. M., mulier 56 annorum, parva, crinibus insignis badiis, sanitatis infirmae, ad septimum usque aetatis annum impetiginibus scrophulosis, ossiumque tumoribus vexabatur, postea vero satis sana, septemdecim annos nata primo menstruis purgata, et post sexennium navigatori nupta est. Quae etsi nunquam se gravidam fuisse praedicet, metrorrhagiae tamen aliquoties, postquam menstrua unico mense non redierunt, insequutae, eam mox a conceptione abortum fecisse, valde reddunt verosimile, praecipue, cum se aliquando in sanguine, quod vix excreverat, bullam ovi magnitudinis vidisse retulerit. Quadriennium jam est elapsum ab ultimo ejusmodi abortu. Ex eo tempore inter concubitum et doloribus tentabatur,

vivaces digitales" Levreti, ex pluribus tuberculis mollibus, majoribus minoribusve confertis componitur, quae in cavo uteri orientia, ex ejus orificio propendent et ab ipso arcte circumdantur, quorum pars saepius sponte excidit, facillime etiam digitis, sed sine aegrotae levamine, removeri potest; celerrime enim observantibus Levreto, 1) Wenzelio, Denmanno 2) quod ablatum fuit uberius renascitur. Mors, nisi forsan uteri scirrhus simul praesens in carcinoma lethale transierit, ex sola ob continuum profluvium inanitione sequitur.

Signa uteri indurati, justo auctioris, scirrhosi, inter tactum dolentis, excrescentium mollities spongiosa, vel forma irregularis, laciniata, multifida, sanguinis inter tactum effusio copiosa ea sufficienter a polypis distinguunt.

---

et post eum paucum perdidit sanguinem, quibus paullo post continuum ex pudendis sanguinis effluvium junctum est, quo ad medicaminum usum, sine ullo effectu per annos protractum, se vidit impulsam. Mense tandem a. praet. Augusto in clinicum hujus Universitatis obstetricium opem quaesitans venit et a me ipso curabatur.

Examine instituto, profluvium ex genitalibus continuum, sanguineo-mucosum, dolores in ossis sacri regione trahentes, pressionis versus pubem perceptionem, alvum pertinaciter obstipatam, appetitus defectum et totius corporis debilitatem inveni peccantia. Aspectus pallidus, subflavus, pulsus exigui, apyretici: in hypochondrio dextro attactus dolorificus; varices haemorrhoidales. — Portio uteri vaginalis paullum infra mediam pelvis regionem sita, abbreviata, laevis, at insolite dura fuit; ex orificio rotundo prominuit excrescens, nucis avellaneae ambitu, molle, sensu carens, quod circumcirca labiis oris uterini affixum visum est, et contactum sanguinem effudit, omnis uterus ambitu auctus, dolens. Nonnullis ad genitalia positis sanguisugis, et per aliquot dies adhibitis medicaminibus aperitivis, excrescens illud a me, nulla insequuta haemorrhagia, forfice exsectum est; quo facto omnia, quae supra attulimus symptomata in aliquod tempus evanuerunt. Serius extracta solventia, amara propinabantur, infusa abstergentia in vaginam injiciebantur. Ex aliquibus tamen hebdomadis, haemorrhagiae cum doloribus denuo redierunt et exploratione instituta, excrescens renasci incipiens, uterumque adhucdum tumidum et dolentem inveni.

1) Levret l. c. haec habet. „Bei der einen Art sind es fingerartige (digitales) mehr oder weniger dicke, mehr oder weniger lange Vegetationen, bisweilen in sehr groſser Menge, von welchen von Zeit zu Zeit Stücke abfallen, ohne daſs hierdurch der Zustand der Kranken gebessert würde."

2) Burns. l. c. p. 625. Not. 57. observat. Denmanni.

§. 11.
Excrescentia carcinomatosa.

Excrescentia prioribus simillima in carcinomate uteri occurrunt 1). Ex ulcere enim carcinode particulae inaequales, duriusculae, confertae, interdum sat magnae et vaginam explentes, brassicae botrytidi similes propullulant, quae saepius et ipsae digitis partim possunt removeri. Omnia carcinomatis signa, praesertim effluentis ichoris sanguine saepe mixti foetor teterrimus, omnino peculiaris, haec tum ab excrescentibus fungosis, tum a polypis distinguunt. Medicus caveat, ne, bonum promittens eventum, exstirpationem suscipiat ab Osiandro laudatam: nam etsi aegrota brevi post operationem, revera melius habere videatur, mox tamen ulcus carcinodes reviviscens uterum denuo infestabit, mortemque adducet.

§. 12.
Excrescentia scirrhosa.

E cervice uteri scirrhosi interdum tumores enasci videntur, vere autem unum alterumve labium cervicis uterinae vel tota cervix tantopere aucta et mutata est, ut tumorem rotundum, inaequalem, durum, dolentem, superficie tuberosa, structura peculiari scirrhode praeditum referat. Signa scirrhi ab amicissimo Götzio 2) in dissertatione sua optime descripta; pruritus intolerabilis, et sensus ustionis in partibus affectis; dolores pungentes, terebrantes, qui motu corporis crescentes, initio interdiu remittentes, vespere aucti, ab osse sacro et vertebris lumbalibus ad anteriora versus in cavum pelvis et ad lumbos usque propagantur, fluor albus copiosus, viscidus, partes vicinas corrodens; sanguinis nigri, in massas majores coagulati secessus, mammae et glandulae axillares et inguinales simul induratae, durities excrescentis lapidea, superficies inaequalis, dolores inter tactum aucti, hunc tumorem a polypis distinguunt. Prius seriusve in ulcus apertum et

1) Ejusmodi excrescentis praegrandis, duce Sieboldio a me observati mentio facta in E. v. Siebold, Journal für Geburtshülfe; Frauenzimmerkrankh. etc. Frankfurt a. M. 1819. III. 1. St.

2) Lud. Götze, diss. inaug. de scirrho et carcinomate uteri. Rostoch 1818.

carcinomatis naturam abit, quare medicus ne incaute eum remediis externis curet, videat oportet, nec eum exstirpare audeat, nam eo citius ulcus insanabile provocabit ac funestissimum exitum alliciet.

§. 13.
Inversio uteri.

Inversionem uteri recens exortam ab obstetricatoribus et obstetricibus imperitis et imprudentibus in aegrotae detrimentum saepius pro polypo habitam, uterumque inversum, morte vix non semper insequuta, vel ligatum, vel resectum esse, non rara sunt exempla: sed nec desunt observationes, obstetricatores vel dexterrimos, exercitatissimos maximeque versatos in cognoscenda inversione inveterata interdum haesitasse, imo errasse: notissimumque est exemplum Petiti 1) et saepius jam hunc in finem allegatum, simile illi a Haukio 2) nuperrime nobis narrato. Quare signa distinguentia pro viribus paullo accuratius ac fusius sequentibus exponere conabor.

Inversio uteri vel est completa, vel incompleta. In inversione completa fundus uteri ex orificio aperto protrusus, extra vaginam propendens apparet: in inversione incompleta fundus pro parte tantum in vaginam vel descendit vel uteri modo orificio appropinquatur, quod Friesius 3) et Schmalzius 4) intussusceptionem, Leroux 5) „depression" vocarunt. Illa autem inversionis species, in qua secundum Collombii 6) malam profecto observationem uteri modo tunica

---

1) Récueil des actes de la société de santé de Lyon. p. 103. Petitus rara ingenuitate narrat, se cum quatuor aliis obstetricatoribus inversionem pro polypo habitam, operatione aggressum esse, nec nisi post mortem illam insequutam, quocum malo illis fuerit rem ipsum cognovisse.

2) Joh. Nep. Rust, Magazin für d. gesammte Heilkunde IV. 3. H. Berlin 1818. p. 435.

3) Conr. Jac. Fries, Abhandl. v. d. Umkehr. od. eigentl. Inversion d. Gebärm. Münster. 1804. p. 49.

4) Schmalz, Versuch einer medizin. chirurg. Diagnostik. Dresd. 1816. 1394.

5) Leroux, Beobacht. über d. Blutflüsse d. Wöchnerinnen etc. a. d. Franz. Königsb. 1784. pag. 155.

6) Schreger u. Harles, Annalen d. neust. Engl. und Franz. Chirurg. u. Geburtshülfe. Erlangen. 1799. I 1. St. p. 83.

intima inverti ac prolabi dicitur, cujusque Aretaeus 1) jam meminit, revera non existit. Error talis Aretaei aevo facilius sane committi potuit; temporibus vero illius Francogalli mirus ac vix excusandus videtur.

Ad diagnosin constituendam medico notum sit necesse est, inversionem uteri, nisi a polypo magno in vaginam degresso producatur, in iis tantum, quae jam enixae sunt, occurrere et auxilio post partum male adhibito, praesertim incauta ante placentam solutam funiculi umbilicalis attractione, nec non partu justo velociori effici.

Inversio nonnisi statim post partum occurrit completa, cui nisi mox obviam itur, aegrota brevi post exsanguis animam efflat. Tumor tum sanguinolentus, ruber, carnosus extra genitalia pugni vel et capitis infantilis magnitudine prominens conspicitur, urgent simul symptomata gravissima, dolores in genitalibus deorsum trahentes, vehementes, haemorrhagia immensa, ad inanitionem usque aucta, animi deliquia, convulsiones. — Haec in polypo post partum prolapso haud obtinent, et veram jam medico mali naturam produnt. Praeterea accuratiori exploratione instituta fundum uteri propendentem, si contrectaveris, dolentem, rugosum, striatum, elasticum invenies, eumque, etsi non absque difficultate, in locum naturalem poteris reponere; cum e contra polypus omni careat sensu, durus sit ac laevis, et inter dolores vehementissimos in vaginam possit retrudi quidem, statim vero denuo prolabatur. Porro in utero inverso vasorum ostiola, e quibus sanguis destillat et vel placentam ipsam, vel locum illum, cui adhaesit, videbis. Attamen memineris quoque, ut ad omnia semper sis paratus, oportet, placentam ut supra jam narravimus, ipsi polypo affixam Bachium aliquando invenisse. Tandem uterum non ut alias post partum, supra symphysin ossium pubis, tumoris globosi adinstar tactu percipere poteris, nec digitus vel specillum, si uterus fuerit inversus, prope tumorem propendentem vaginae ut in polypo offendet cavum.

Inversio incompleta vel recens exorta vel inveterata occurrit. — Eam speciem, in qua fundus uteri ex parte in vaginam descendit, recens exortam, ea-

1) Aretaei Cappadoc. l. c. lib. II. Cap. XI.

dem fere, quae inversionem completam symptomata comitantur, quibus jam a polypo ex parte in vaginam post partum demisso, valde differt: praeterea tumor rotundus, basi major, sentiens, elasticus, qui possit reponi, percipitur, nullusque supra symphysin tumor, nullumque uteri cavum. Polypus e contrario durus, sensu carens, tenui petiolo utero adhaerens invenitur, in cavum uteri intrare licet, repositio aut plane negata, aut sine constanti effectu est.

Intussusceptio recens exorta non quidem cum polypo confundi potest, sed potius, quia ejus symptomata non tam ac aliarum specierum gravia esse solent, a medico non attento plane praetermittitur, haemorrhagiae post partum ex ea pendentes injectionibus frigidis, adstringentibus sedantur, lochia copiosa et dolores trahentes in puerperio, aliis causis adscripta, remediis et antispasmodicis et stipticis externis et internis vel omnino sedantur, vel saltem imminuuntur; causa autem vera manente, morbus fit chronicus et insanabilis: fundus enim inversus in hocce situ abnormi permanet, quinimo pedetentim profundius devehitur, nullo amplius modo reponendus et sic alteram inversionis incompletae speciem inveteratam constituit. Haec jam inversio inveterata a Leroux 1), Desaulto 2), Hamiltone 3), Bangio 4), Schmuckero 5), Cleghornio 6), Haukio 7) observata, summam cum polypis similitudinem prae se fert. Aegrotae sive hoc, sive altero morbo laborantes, de sensatione pressionis ac tensionis molesta in genitalibus, de difficultatibus urinae et alvi, de profluviis sanguineis et serosis ex genitalibus in diem magis eas debilitantibus conqueruntur, in diem magis emaciantur habitumque quasi chloroticum induunt.

Ill

---

1) Leroux, l. c. p. 166.

2) Journ. de Chir. tom. II. Paris 1791. (Richter. chir. Biblioth. XII. 2.)

3) Medical Commentar, for the year. 1791. (Richter. chir. Biblioth. XIII. 1 p. 68.)

4) Acta regiae societat. med. Havniens. Vol. III. 1792. Haec inversio, quae per novem menses adfuit, post mortem inventa est.

5) Schmucker, vermischte chir. Schriften II. p. 166.

6) Medical Communicat. II. 326. Cleghornius, mulierem per viginti annos inversione uteri laborantem, optima valetudine gavisam esse narrat.

7) Rust, Magazin IV. 3. p. 456.

Ill. de Sieboldio duce brevi temporis spatio hancce inversionem sine dubio raram, pluries observare mihi contigit 1) et quae mihi ex hisce observationibus desumsi signa, eam a polpyo distinguentia, in sequentibus quam accurate potuero, indicabo:

---

1) Ex hisce observationibus unicam fusius narrabo: Carolina W., Berolinensis, mulier 43 annorum, parva, infirma, capillitio badio praedita, devictis feliciter consuetis infantum morbis, sana hanc aetatem vixit: ex anno suo decimo tertio menstruorum beneficio rite fruens anno decimo nono nupsit, quatuor subsequentibus annis absque multis molestiis quatuor peperit infantes vivos, dein post triennium, ira commota, abortum fecit quadrimestrem, quem novem interpositis annis nova excepit graviditas, partusque post integram vini annosi lagenam ad metum abigendum epotam, insolite ac mire velox; infans maturus, vivus; placentae facilis secessus. Sequente vero nocte magno cum ardore dolores, quales post partum esse solent, sed vehementissimi adoriuntur, simulque magna sanguinis coagulati et in plura frusta majora conglutinati copia propellitur, quod sanguinis profluvium aptis quidem cessit remediis, lochia tamen consueto multo diutius et copiosius fluebant. Viribus paullatim refocillatis, paucis post mensibus uterus jam naturali er purgatur, multo vero ac antea copiosius, et cum trahentibus in regione sacra doloribus, omnibus istis quovis fere mensi auctis. Valetudo nihilominus satis bona, donec post duos annos, menstruorum tempore, a lapsu facto, ingenti sanguinis coacti mole e vagina prorumpente, medicus advocatus, graviditatem suspicans, ovulum, quod ex utero jamjam egrediens se sensisse autumat, ut haemorrhagiam sistat, vi adhibita extrahere tentaverit, a quibus tamen conatibus, immanium, quos excitavit, dolorum causa mox abstinere fuit coactus. Haemorrhagia injectionibus institutis supprimitur, relicta inde debilitate ingenti et mira quadam fatuitate, quam vero copiosum post aliquot hebdomades insequutum mensium profluvium abegerat. Exinde plures in consilium vocantur medici, quorum pars, polypum adesse, praedicat, quid quod unus eorum hujus tentaverit ligaturam, quam vero quominus perficeret, immanes, quos tentamine suo excitavit, dolores, impediverunt. Ita jam affectam invenio: Menstrua justo redeunt tempore, per plures tum dies, doloribus simul urgentibus, incredibilem perdit sanguinis copiam, postea humor sequitur aquosus, inodorus, qui paullatim clarior redditus post aliquot dies aquam pelluciditate aemulatur fontanam et per octiduum fere copiosus effluit. Tum ad sequens usque mensium tempus, omne omnino cessat profluvium, doloribus continuo vexantibus; praeterea vero, si magnam virium excipis infirmitatem, durante hac periodo, satis bene se habet, nulla febricula commovetur, appetit, dormit, alvus ut decet obsequens, sola urina cum doloribus nonnunquam secedit: corpus ceterum valde emaciatum, pallidum, exsangue. — Exploratione instituta corpus rotundum, pyriforme, laeve percipitur, quod ab ore uterino paullum tumido laxe tantummodo cingitur, ita ut inter utrumque digitus intrare possit, moxque cavi uterini attingat finem. Corpus illud ipsum duriusculum est, haud quidem dolorificum, eo tamen praeditum sensu, ut aegrota si ungue scalpis, illico id percipiat.

Polypus non raro in feminis, quae nondum pepererunt, occurrit.

Molestiae a polypo pendentes, cum mensium aberratione morbosa, non raro cum eorum suppressione incipientes, in dies augentur, iisque dolores illis ad partum similes, eo tempore, quo paullatim ex utero in vaginam descendit polypus, sese adjungunt.

In polypo profluvium humorum mucosorum, sanguine ac frustulis membranaceis intermixtorum semper adest, et nonnisi interdum cum haemorrhagia copiosa alternat.

Polypum explorans, tumorem rotundum, laevem, interdum villosum, firmum, petiolo tenui utero affixum, et orificio uteri circumdatum in vagina reperies et specillo vel digito prope tumorem altius in uteri cavum intrare poteris.

Polypus omnino caret sensu.

Inversio in iis tantum, quae jam enixae sunt, observatur.

Molestiae ab inversione pendentes aegrotam ex ultimo partu vexant, quem vel post nimis velocem decursum, vel post placentam rudius ac violentius protractam, mox metrorrhagia, dolores solitis vehementiores et lochia nimis copiosa, diutiusque durantia exceperunt.

In inversione, si aegrotam accuratius interrogabis, revera menses nimios tantum invenies. Haemorrhagia nempe vel secunda vel tertia hebdomade apparet, per plures dies copiosissima adest, eamque profluvium serosum, lymphaticum sequitur, quod in iis, quas ipse observavi, aquae fontis instar limpidum inveni.

Inversio similem tumorem rotundum, laevem, satis firmum, non raro superne paullulum attenuatum refert, qui itidem orificio uteri laxo circumdatur: sed digitus vel specillum prope tumorem in vaginam altius immissa, cavum uteri nullum, sed statim parietem uteri obstantem offendent.

Uterum inversum praesertim injectionibus stipticis, adstringentibus, diutius curatum, omni fere sentiendi facultate privatum invenies, fundum enim in vaginam immersum comprimas licet vel

Ligatura vel forfex ad polypum applicata, nullos excitant alios dolores, nisi ab expansione et irritatione vaginae pendentes.

et forcipe vellices, aegrota tamen nullum sentiet dolorem; si vero ungue eum leniter scaberis, mox tibi, se tale quid percipere, indicabit. 1)

Simulac vero uteri inversi pars superius sita, petiolum nonnunquam mentiens filo comprimitur, vel forfice secatur, dolores acutissimi ipsaeque convulsiones oriuntur.

Fortasse multo adhuc facilius vaginae speculorum a Bozzinio 2) et nuperrime a Dupuytrenio 3) inventorum ope diagnosis confirmari posset. Uterus enim inversus omnino alium adspectum quam polypus, praebeat necesse est: praesertim menstruorum tempore sanguinis guttulae ex toto ejus superficie laevi exsudantes conspici deberent, quae certe in polypo non observabuntur. — Cui placuerit, ista instrumenta adhibeat!

§. 14.
Prolapsus uteri.

Ut §. V, notavi, in inferiore parte polypi, qui diutius jam in vagina commoratus est, nonnunquam impressio vel foramen occurrit, quo quaedam cum utero prolapso similitudo oriri potest. Levretus 4) Quarré 5), Montmeillant 6)

---

1) Hanc observationem experientissimo Professori Ribkio debemus.
2) Phil. Bozzini Lichtleiter, od. Beschreib. e. einfach. Vorricht. z. Erleucht. inner Höhlen. etc. Weimar. 1806. (E. v. Siebold, Lucina IV. p. 167).
3) Rust, Magazin, III. Dr. Wutzer instrumentum Dupuytreni Parisiis allatum describit.
4) Levret, Kunst d. Geburtsh. 2 Th. p. 204. Ejd, Observations sur la cure etc. p. 28.
5) Journ. de Medecine, tom. X. p. 554. In femina nobili, ex dimidio cum duobus annis menstruis a naturali lege aberrantibus vexata, repente post ambulationem inter multos dolores polypus prorupit. Chirurgus adveniens, uterum gangraena corruptum credidit prolapsum: „ayant réconnu une masse énorme qui lui sortoit des parties génitales, crût que c'étoit la matrice, principalement après avoir apperçu dans le milieu de cette masse un trou à pouvoir y porter deux doigts, par lequel s'écouloit la sanie puante et le sang noir." —
6) Journ. de Med. tom. LXXII.

pluresque alii nobiscum communicaverunt observationes, medicos tali in casu se ipsos tantopere fefellisse, ut polypum exstirpantes, uterum ipsum se exstirpasse crediderint. Sed praeterea, quod molestiae ab utroque affectu exortae valde inter se differant, facile etiam exploratione instituta, polypus a prolapsu, sive sit completus, sive incompletus potest distingui. Obstetricator enim versatus illam in polypo impressionem, quam Levretus foramen praeternaturale vocavit, certe ab orificio uteri distinguet. Polypus praeterea sensu, quo portio vaginalis praedita est, ita ut tunc temporis non raro doleat, omnino caret: uteri prolapsi circuitus in genere in inferiore parte minor, in superiore major: polypi e contra pars superior magis tenuis est, et uteri orificio cingitur; si vero e cervice ortus est, praeter illud foramen in inferiore ejus parte, verum etiam uteri orificium prope polypi petiolum in vagina sentitur.

§. 15.
Retroversio et anteversio uteri.

Quamvis medicus uteri nec retroversionem nec anteversionem cum polypo facile unquam confundet, ob molestiarum tamen ab illis pendentium, cum hujus symptomatibus similitudinem, eas hic praetermittere nolui.

Retroversio uteri vel gravidi, praesertim tertio graviditatis mense, vel non gravidi occurrit. Notae sunt molestiae inde excitatae, dolores gravativi, prementes, deorsum trahentes in genitalibus, urinae et alvi diuturna retentio, quaeque inde sequantur. Morbi majore gradu, qui tum in graviditate, tum utero morbose aucto, sarcomatoso contingit, fundus uteri profundius in pelvis cavum deprimitur et quasi incuneatus permanet; tunc tumor, rotundus, firmus, laevis in vagina sentitur, accuratiore exploratione instituta portio vaginalis brevior, tumida, vel penitus versus symphysin, vel versus ossium pubis ramum horizontalem directa sentitur, eoque morbus facillime a polypo distinguitur: porro illa, quae polypum comitantur, profluvia peculiaria, mucoso-sanguinea in retroversione absunt.

Eadem fere in anteversione multo rariori obtinent, nisi quod portio vaginalis omnino versus os sacrum spectat.

§. 16.

C a u s a e.

Polyporum formatio ex vasorum minimorum, quae in superficie uteri interna, sanguinem menstruum secernunt, nec non ex nisus formativi peculiaris, quem in utero potentiorem, quam in ullo alio totius machinae humanae organo admiramur, actione morbose vitiata pendere videtur. Quavis aetate, conditionibus omnibus maxime diversis, hic nisus a naturali via deduci simulque justo nimis excitari potest; notum enim est talia excrescentia in uteris et puellularum paucorum annorum et vetularum observata esse, puellas menstruantes cum omnibus illaesae virginitatis signis, aeque ac meretrices, mulieres vel copiose vel parce menstruantes, fluore albo vel laborantes, vel liberas, gravidas et non gravidas iis obnoxias esse, plura in uno utero adfuisse, exstirpata renata esse: e quibus elucere videtur, non certam totius organismi constitutionem polyporum formationi favere, sed potius nonnullos uteros ad earum procreationem aeque proclives esse ac cutis nonnullorum hominum ad verrucas producendas. Congestiones morbosae ad genitalia, eorum irritationes praeternaturales, Onania, coïtus nimius, desiderium Veneris non expletum, sine dubio occasionem praebent ulteriorem. Nonne his ex causis ex parte saltem explicari potest, quare ejusmodi excrescentia in animalibus non occurrant? — nusquam enim eorum mentionem factam esse memini. Nonne fortasse nostris temporibus usitata edúcatio, puellarum ratio vivendi, eorum formationi magis arridet? Nonne eorum vestigia apud Veteres tam dubia, quod tum his ex causis multo rarius obtinuerint? Laesiones uteri inter partum, ab auctoribus multis inter polyporum causas laudatae, vix huc pertinent; nec etiam frustula placentae in utero relicta, quam opinionem Nissenius 1) optime jam refutavit.

---

1) Wolder Andreas Nissen, dissert. cit. p. 24.

§. 17.
Prognosis.

Iis, quae Sieboldius de prognosi dixit 1), quae adjiciam non habeo. Polypus, dum parvus est et ab utero penitus inclusus, parum fert incommodi, vixdum cognoscitur, et si praesentem suspicemur, removere tamen non possumus. Major factus et os uteri jam expandens, haemorrhagiis, quas saepius excitat, aegrotam valde debilitat, non raro maximum periculum quin imo mortem adducere potest, et hoc in statu non sine difficultate aufertur. Cum per orificium uteri vaginam intravit, eo facilius exstirpatur, quo tenuior est ejus petiolus et quo propior cervici haeret. Si aegrota aetate magis provecta diu jam laboravit, si haemorrhagiis sempiternis valde exhausta, si febris lenta distinctius jam exculta est, si cachexia hydropica jam invasit, si lues venerea vel alius morbus universalis corpus simul affligunt, prognosis et post exstirpationem dubia. Conceptionem non quidem prohibent, saepius autem abortum cient. Exstirpati saepius renascuntur. In polypo uteri orificio adhaerenti molestiae minores et prognosis melior.

§. 18.
Cura.

Omnia symptomata ex polypo uteri pendentia cito et tute ejus remotione et ipsa removentur. Quum autem Chirurgia in genere tunc demum auxilium ferre possit, cum uteri orificium adeo est apertum, ut instrumenta secantia vel ligantia polypi petiolo rite applicari possint, saepius longe ante operationis tempus symptomata varia periculum minitantia a medico remediis aptis mitiganda saltem sunt: quo praeprimis spectant: haemorrhagiae, retentio urinae et obstructio alvi.

Haemorrhagias saepius, ut jam notavi, menstruorum tempore solito, praesertim autem polypo per orificium uteri in vaginam descendente, infestantes, magnaque hincinde, forte ob vasa sanguifera a polypo nimio egrediente lacerata,

---

1) E. v. Siebold, Handbuch. 1. Th. p. 520.

pericula ipsamque mortem adducentes, summa corporis animique quiete, situ supino, plano in lectulo, Opii parva dosi, acidis mineralibus praesertim acido phosphorico, aluminis solutione, morbi gradui adaptandis, prae ceteris autem injectionibus egelidis ex aceto vini diluto, vel puro, debellemur oportet. Quae remedia circumspecte et per justum temporis spatium adhibita ad haemorrhagiam tamdiu compescendam, donec os uteri satis dilatatum operationem admittat, semper fere sufficient. Quod si vero praeter omnem exspectationem haud ita votis responderent, indeque aegrotae vitae immineret periculum, tum sane nec vero alias unquam, Nissenio suadente 1), os uteri artificio esset dilatandum, ut mox possit operatione tolli polypus.

Retentio urinae polypo magno uterum explente, vesicam urinalem vel ejus cervicem comprimente, per plures dies protrahi et symptomata gravissima commovere potest, in genere nonnisi catheteris applicatione abigenda; sed spongia vaginae immissa, uterumque suffulciens hujus in vesicam pressionem minuet saltem, multumque hinc conducet. Sin autem polypus permagnus ad genitalia externa usque egressus, indeque propendens orificium urethrae omnino claudat et obtegat, tunc, Espagneto 2) duce, polypus incidendus est, ut catheter applicari et urina educi possit.

Obstructio alvi, symptoma saepius occurrens, ratione mechanica sustentatur. Medicus diaeta apta, tenui, mediocri, ei optime obviam veniet. Juscula diluta, opsonia alvum moventia, carnem avium et piscium teneram, multum diluentemque potum, prae ceteris lac aqua suavi gas carbonico nupta remistum suadeat. Obstructionem pertinaciorem eccoproticis, lubricantibus, oleosis, emulsione ex oleo Ricini cum Natro sulphurico, similibusve removeat; digestione simul valde labefactata Infusum Quassiae cum Rheo magni erit emolumenti. Drastica penitus exulent; clysmata et suppositoria vix non semper omni carent effectu.

§. 19.

Polypi ex utero descensus, cum, ut supra jam monuimus, tarde nimis

1) Nissen, diss. cit. p. 42.
2) Mem. de l'Acad. de Chir. tom. III. p. 531.

saepe fiat, cumque profluvia tum mucosa, tum sanguinea aliaque quae attulimus symptomata, ea de causa diu perseverent, corpusque, etsi non sint nimia, paullatim tamen exhauriant, vires evertant, hincque saepius operationis serius institutae eventus reddatur malus, sane optanda sunt remedia, quae tardum illum polypi descensum, omnium malorum originem, accelerare et promovere valeant. At nihil hucusque experientia docuit ejusmodi: pellentia enim dicta ob metrorrhagiae metum vix in usum sunt vocanda. Infusa tepida relaxantia in vaginam injecta aliquid fortasse praestabunt; praeterea spongia illo infuso imbuta vaginae ad os usque uterinum immissa injectionum adjuvabit effectum, nec non urinae ac alvi difficultates et dolores trahentes ab uteri pondere productos lenient.

§. 20.

Simulac vero exploratio polypum vel orificio uteri affixum, vel jam ex utero maximam partem egressum esse docuerit, mox removeri debet; nam absonum esset, illam cujus §. IV. memini, exspectare rejectionem spontaneam. Hunc in finem variae operationis methodi adhibitae sunt: detorsio et evulsio, cauterium, deligatio et resectio.

Omnes hae operationes, quatenus alias admittendae sunt, optime brevi post periodum menstrualem, vel si haec jam obscurior fuerit, post haemorrhagiam uberiorem, quia tum partes genitales laxiores, et sanguinis ad eas concursus minor est, instituuntur.

Detorsio et evulsio.

Hae methodi, etsi iis chirurgi ad polypos narium tollendos, certis conditionibus non sine fructu utantur, in polypo uteri omnino sunt rejiciendae. Exemplum Francogallorum de la Peyronie et Boudou, 1) qui hoc modo polypos feliciter se exstirpasse narrant, nemo imitabitur, cui uteri vicinarumqua partium fabrica ac nexus notus sit; nam earum laesio vix vitanda majora certe ipso polypo detrimenta ferret.

---

1) Levret, Kunst der Geburtsh. 2r Th. Observ. XXI. et XXII.

§. 21.
Cauterium.

Cauterium actuale, ferrum candens a dexterrimo chirurgo intra has partes tenerrimas non sine noxa adhiberetur, quare omni jure a Levreto 1) jam condemnabatur.

Cauterium potentiale non sine magna difficultate applicari potest: in polypos magnos justo lentius agit, facillime etiam partes vicinas, vaginam uterumque ipsum corrodit, quare in genere haud convenit; polypo tamen jam exstirpato in portiunculam petioli relictam, vel in polypos parvulos cervici affixos aliam exstirpandi methodum non admittentes, Starkio 2) duce, applicari et sic, etsi raro, in usum tamen trahi potest, quod observatione dissertatiunculae annexa tertia probabo. In applicatione maximam medicus attentionem adhibeat necesse est, et hunc in finem optime argento nitrico fuso cylindri incurvi ope ad justum locum delato, uti poterit.

§. 22.
Deligatio.

Deligatio polypi petiolum arcte constringendo polypi ipsius nutritionem impediens, is ut emoriatur decidatque efficit. Mox ab operatione polypus intumescit, urinae ac alvi difficultates ingravescunt, vaginam haud raro inflammatio adoritur, quae ab instrumentorum ibidem haerentium stimulo ita saepe augetur, ut febrem accendat sthenicam, et methodum antiphlogisticam et universalem et topicam requirat. Simulac polypus emori inceperit, ichor teterrimi ac putridi foetoris effluit, donec pro vario petioli ambitu 4, 6, 8 — 14 dierum spatio, integra solutio, simulque febriculae decessio insequatur.

Deligatio facilis est, si polypus eo jam pudendis est egressus, ut petiolus vel externe conspici, vel saltem inter nymphas attingi possit, quod autem rarissi-

1) Levret, Kunst d. Geburtsh. 2. Th. p. 237.
2) Stark, Archiv I. 3. p. 20.

me, et vix sine utero sive inverso sive prolapso contingit. Intrare tum in vaginam haud necessarium, petiolus sola manu, absque ullo instrumento fasciola firma, optime semisericea cingitur, itaque quam arcte fieri potest constringitur ac ligatur: potest etiam petiolus acu perfodi, filoque crasso duplicato per foramen ducto, deligatio et constrictio in utroque latere perfici. Polypus vero adhucdum vagina vel et pro parte ipso utero inclusus, petiolo uteri fundo vel ejus viciniae affixo, haud ita facile deligatione tollitur: et opus est instrumento proprio, quo filum deligatorium ad polypi petiolum perduci, circa eum poni et certis adjumentis constringi possit. Levretus primus ejusmodi instrumentum hunc in finem adhibuit ac publici fecit juris, 1) quod ejus meritum, etsi forsitan, quod Görzius jam notavit, simile Fallopii 2) ad deligandos narium polypos instrumentum imitatus sit, inviolatum manet semperque manebit. Varia hujus instrumenti incommoda et vitia ejus applicationem certis in casibus non tantum perdifficilem, sed et plane impossibilem reddebant, quo ipse jam Levretus ad alterum ejusmodi instrumentum excogitandum permotus fuit 3), quod cum et ipsum multum abesset, ut perfecte fini suo responderet, multorum inde celebrium in arte virorum haec inventa corrigendi novaque inveniendi studium fuerat suscitatum: itaque paullatim magnus id genus instrumentorum succrevit numerus: Le Cati, 4) Keckii, 5) Laugieri, 6) Butteti, 7) Herbiniaux, 8) Conti-

1) Observations sur la cure radicale etc. p. 65 sq. pl. II. fig. 1. 11. 12. et pag. 192. pl. VI. fig. 9. 10. 11.
2) Gabriel. Fallopii, Mutinensis, opera omnia. Francof. 1600, in tractatu de tumoribns narium.
3) Mémoires de l'Académie royale de Chirurgie. tom. III. 1757. p. 598. pl. XIII. (in Levret, Kunst d. Geburtshülfe tom. II. übers. v. Held, Leipz. 1778. p. 264 tab. VII. Fig. 2.) Levret, Versuch über d. Misbrauch d. allgem. Grundsätze u. wider d. Vorurtheile die sich der Ausbreit. der Hebammenkunst entgegensetzen. a. d. Franz. v. Burdach, Leipzig 1776. tab. I. Fig. 5, 6.
b) Journal de Médecine tom. XXXII. p. 531. (in Levret's Versuch v. Burdach p. 525. tab. II. Richter chir. Bibliothek II. 1 St. p. 75. Fig. 3. et Richter Chirurgie 1. Th. tab. VII. Figur III.
4) Levret, observations etc. p. 464. pl. V. Fig. 1.
5) Journ. de Médecine tom. XXXI. p. 440. (Levret's Versuch v. Burdach p. 524. tab. II. Fig. 1. — Bell's, Lehrbegriff d. Wundarzneik., III. tab. VII. Fig. 98.
6) Journ. de Médecine tom. XXXII. 1770.
7) Journ. de Médecine tom XXXIII. 1771.
8) Herbiniaux, parallèle de differ. instrum. pour la ligature des polypes dans la matrice, à

gli, 1) Davidii, 2) Klettii, 3) Hunteri, 4) Görzii, 5) Nissenii, 6) Löffleri, 7) Starkii, 8) Ricou, 9) Desaulti, 10) Bichati, 11) Denmanni, 12) Boucheri, 13) Cullerieri, 14) Jörgii, 15) Sauteri, 16) Clarkii, 17) Ribkii 18) aliorumque, si quos praetermiserim.

Omnes hac fistulae, filorum ductrices, modo rectae, modo curvatae; modo simplices, modo duplices; quorum plurimae ad polypi secessum usque in vagina debent relinqui, paucioribus tantum ita constructis, ut, relicto polypi petiolum cingente laqueo, auferri possint; laqueo ipso vario in variis modo constringendo — auctorum intentioni, ligaturae polypo sine multa difficultate imponendae, aliae magis, aliae minus, satisfaciunt. Cum vero in variis de polypis commentationibus, nec non in auctorum de chirurgicis operationibus libris, frequen-

---

la Haye. 1771 Ejusd. traité sur div. accouch. labor. et sur les polypes de la matr. Brux. 1782. (Richter, chir. Bibliothek II. 1. p. 75 Fig. I et II.) tom. VI. p. 224.

1) Contigli, raccolta di opuscoli medico pratici. Vol. III. p. 139. (Eschenbach's, vermischte med. chir. Bemerk. 2te Samml. Fig. 2, 4.

2) Stark Archiv III. 3. Fig. I. II. III. Loder, chir. med. Bemerk. I. p. 98. tab. 2.

3) Stark Archiv III B. 3. p. 448.

4) Stark Archiv I. B. 2 St. p. 152 (Savigny Collection of engravings etc. Lond. Pl. 25. f. 3, 4.)

5) Görz, diss. inaug., in qua novum ad ligaturam polypor. uteri instrum. proponit. Götting. 1783. Richter, chir. Biblioth. VII. 3. p. 520. et Ejd. Chirurgie I. tab. VIII.

6) Nissen, diss. inaug. de polypis uteri et vaginae. Gött. 1789. Bell's Lehrbegriff V. tab. X. Fig. 13, 14, 15, 16.

7) Stark, Archiv IV. 2. 1792.

8) Stark, Archiv. I. 2. 1787.

9) Museum, d. Heilkunde II. Zürch. 1792. Nr. 20.

10) Desault, chir. Nachlafs, gesamm. v. Bichat II. Gött. 1800 (v. Siebold's Chiron II. 2. S. 420.)

11) Mémoir. de la societé med. d'émulation. seconde année. p. 133. et Annalen d. neust. engl. und französ. Chir. u. Geburtsh. v. Schreger u. Harles. 1800. I. 3 tab. 2. Zang, blutig. heilkund. Operation. 1. Th. tab. I. Fig. 5, 6, 7.

12) Savigny, collect. of engrav. etc.

13) Loder, Journal für d. Chirurg. II. 4 St. (a Bernsteinio descriptum).

14) Lefaucheux, sur les tumeurs circonscrites et indolentes du tissu cellulaire de la matrice et du vagin. Paris 1802.

15) Jörg, Handbuch, Leipz. 1809. p. 514. Fig. III, IV, V, VI.

16) v. Siebold's Chiron. II. 2 St. p. 420.

17) Clarke, Beobacht. über d. Krankh. d. Weib. etc. 1 Th. p. 167.

18) Rust, Magazin, III. 1. St. 153, et II. 2 St. p. 291.

ter sint descripta haec instrumenta, eorumque tum commoda, tum incommoda affatim pensitata, hisce facile possumus hoc loco supersedere, relegantes lectores nostros ad ejusmodi, praeprimis Herbiniaux 1), Zeitmanni 2), Sabatieri 3), Bellii 4), Zangii 5) scripta.

Omnibus vero id incommodi est commune, aegrotas inde haud exiguos perpeti dolores, chirurgo applicationem arduam esse, quod partim ex alta saepe polypi sede, variaque ejus magnitudine, partim ex vaginae tum angustia, tum peculiari incurvatione ac lubrica conditione, partim ex genitalibus externis nimis saepe arctis intelligitur, eoque magis elucet, quod inter opus oculis accessu haud patente, solo digitorum tactu duce possumus uti. Omnibus hisce difficultatibus inter reliqua, quantum ejus fieri potuit, maxime prospexisse videtur Cel. Ribkii instrumentum, quod compositum est ex duabus fistulis, undecim et dimidium pollices longis, cylindricis, pennam anserinam crassitudine aequantibus, in S Romani fere formam incurvis, argenteis, ambabus in fine inferiori ginglymo ac ope clavi cylindrici eidem adaptati jungendis: in superioris partis latere foramina habent, in quibus filum vincturae destinatum, sericeum, styli cylindrici longioris in fistulis reconditi auxilio retinetur, quibus stylis, post vinculum polypo impositum, retractis, fistulae omnino auferri possunt, remanente solo vinculo, quod per globulorum eburneorum, foraminulis, per quae filum illud ductum est, perforatorum seriem, et ope trochleae, filorum fini extra vaginam porrecto, affixae, cujus actio peculiari rota, („Stellrad" nostrates appellant) adjuvatur, paullatim arctius constringitur. Fistula duplex, vincturae applicationem reddens faciliorem, duplex earum curvatura, quarum superior polypi figurae ac pelvis et vaginae situi congrua est, inferior vero perinaeum ac pudenda inter applicationis opus a nimia tuetur compressione, itaque incommoda, ex fistulis circa polypum movendis alias orientia minuit, porro has fistulas metallicas, posse auferri, solo

---

1) Herbiniaux, parallèle des instrumens etc.
2) Zeitmann, diss. cit. p. 31.
3) Sabatier, Lehrbuch für prakt. Wundärzte, übers. v. Borges. I. Berlin. 1797. p. 301.
4) Benjam. Bell, Lehrbegriff d. Wundarzneik. VII. Leipz. 1810. p. 427.
5) Christ. Bonif. Zang, Darstell. blut. heilkund. Operat. I. p. 432.

funiculo cum globulis suis vaginae se facile adaptantibus relicto, omnia haec hujus instrumenti prae ejusmodi ceteris praestantiam manifestant.

Attamen nihilominus, quicunque instrumento, sive sit in phantomate dicto, sive in vivis unquam fuerit usus, procul dubio nobiscum scit, ejus applicationem multis haud vacare difficultatibus, nec nisi post plura experimenta irrita prospere succedere, cujus rei culpa maximam partem, fistularum per ginglymum ope clavi tenuis conjunctioni tribuenda nobis videtur. Fistulae nempe conjunctae introducuntur, ac dein, conjunctione antea soluta, versus utrumque latus circa polypum ducuntur, hocque facto, ut fili reliqua applicatio tuto fieri possit, denuo debent conjungi, quod nonnisi ita potest perfici, ut fistulae una supra alteram ex uno in alterum moveantur latus, itaque ginglymi articuli, quorum pars in utriusque est fistulae latere interno, sibi invicem adaptentur, quo non tantum in angusta vagina summi excitantur dolores, sed filum etiam ipsum ita potest implicari, ac ex suo moveri loco, ut vinculum formari nequeat et omnis operatio ex integro sit resumenda. Quodsi quis, ut haec evitaret, utramque fistulam circa propriam axin invertere et ita fistularum latera, quae ginglymi particulas habent, sibi vellet adaptare, is necessario convexum fistularum latus versus convexam polypi superficiem opponeret, quod, ut patet, in phantomate quidem, nequaquam vero in homine vivo perfici posset. Ipsa tandem conjunctio ob ginglymi canalem nimis angustum et clavum valde tenuem, qui facile potest inflecti ac curvari, valde est incommoda.

Omnibus vero hisce vitiis ac incommodis facile potest occurri, instrumento in modum sequentem immutato: Fistulae eandem servant et longitudinem et crassitudinem ac curvaturam; pars vero inferior, trium pollicum longitudine quadrilatera fabricatur forma, ita quidem ut tum externa, tum interna instrumenti latera sibi invicem accurate possint applicari, (quod in Ribkii instrumento ob ginglymum nonnisi uno in latere fieri potest.) Conjunctio ac connexio utriusque fistulae fit per vaginam seu thecam quadrilateram et supra et infra apertam, parietibus ita quadratis, ut illi fistularum portioni quadrilaterae accurate sint accommodatae itaque haec portio facili negotio in thecam istam immitti, haecque denuo sine omni difficultate possit detrahi; tandem styli illi in fistulis reconditi,

et ad fila retinenda inservientes, unum pollicem fistulis sunt longiores, et infra lineam servant rectam, (in Ribkii instrumento versus latus externum sunt incurvi, quo fit, ut facilius possint inflecti), et ut commodius arripi possint, ansa parva sunt instructi, quae vero ambae fistularum latitudinem, ut theca illa et iis possit induci, ambito suo non superent oportet (v. Fig, IV.). Filum ad deligationem destinatum et reliqua ad hanc perficiendam adminicula eadem sunt, quam in Ribkii instrumento; quod ceterum, cum in vagina non reliquatur, argenteum sit necesse non est.

Applicatio hujus instrumenti ita jam perficitur: Evacuatis antea, si fuerit necessarium, clysmatis et catheteris ope, alvo et vesica urinaria, aegrota lecto transverso dicto, paullum elatiori imponitur, quem in finem pulvinar obstetricium Ill. Sieboldii 1) ob ejus sinum s. excisuram, liberum ad genitalia aditum concedentem, commendari meretur. Qui operationem suscipit, inter mulieris femora in sella paullum demissiori considet, laevae manus digitos indicem ac medium, oleo inunctos in vaginam ad polypi usque petiolum fert, et globulis eburneis in filo antea adeo, ut laqueus polypi ambitui adaptatus possit formari, remotis, dextra manu instrumentum oleo inunctum, in modum forcipis brachii apprehensum, digitos vaginae immissos duces sequendo, et directione versus os sacrum servata, dum adjutor globulorum lineam ex instrumento dependentem sustinet, ad polypi petiolum usque sursum ducit. Quo facto, theca illa, ambas fistulas conjungens detrahitur, fistulae ad opposita latera circa polypum moventur, ita ut utraque dimidium orbem definiat, donec supra denuo conveniant et theca tum rursus connecti possint. Jam exploratur, num polypum cingat laqueus, qui si necessarium visum fuerit, magis versus polypi petiolum movetur; tum globuli ad petiolum usque protruduntur, et ab adjutore paullatim ope trochleae constringuntur; styli, laqueum in instrumento retinentes, tantum, quantum, ut hic ex fistulis excidat, opus est, retrahuntur, ipsum instrumentum caute e genitalibus aufertur, tandemque laqueus omnino constringitur. Globulorum linea, ex

1) A. E. v. Siebold, über ein bequemes und einfaches Kissen zur Erleichterung der Geburt und Geburtshülfe. Berlin, 1818.

pudendis propendente, ne gravitate polypum uterumque detrahat, fasciae ope mulieris femori affixa, haec in lectulum suum transfertur, in quo usque dum polypus solvatur, remaneat, summamque observet quietem necesse est. Ligatura ad hunc usque terminum quotidie arctius constringenda est. Quodsi inflammatio exoriatur, cura instituitur apta, antiphlogistica, infusa abstergentia florum Chamomillae, herb. Althaeae, hyoscyami saepius quotidie, egelida in vaginam siphone injecta, et urinae difficultates et profluvii foetorem minuunt. Quibus infusis post polypi lapsum infusa magis adstringentia substituuntur, juncta tum simul non sine emolumento cura universali roborante.

Etsi quidem resectio polypi, mox uberius describenda, maximam partem omni alii operationis methodo sit praeferenda, ligatura tamen, conditionibus hic subjunctis obtinentibus, vix possumus carere:

a) Si in polypi petiolo arteria pulsans sentitur.

b) Si polypi petiolus nimis est crassus, ut in eo majora vasa possint suspicari sanguifera.

§. 23.

Resectio.

Polyporum uterinorum resectio omnium methodorum procul dubio est vetustissima, jam enim Aëtius, 1) siquidem ejus cauda nostris polypis respondeat, polypum forcipe paullum protractum, muliere supina, scalpello resecari jubet, eumque Paulus Aegineta 2) et Albucasis 3) sequuti sunt.

Fabricius ab Aquapendente peculiarem ad resecandum idoneam forcipem excogitavit, quam primitus ad narium polypos exstirpandos destinatam et uteri polypis convenire docuit 4).

---

1) Aëtii Tetrabiblion, lib. XVI. Cap. 106. Venet. 1534.
2) Pauli Aeginetae totius rei medicae libri, ex edit. Cornarii. Basil. 1556. Lib. VI. C. LXX.
3) Albucasis, medendi method. l. c.
4) Hier. Fabric. ab Aquapendente, Opera chirurgica. Lugd. Batav. 1723. De chirurgicis operationibus. Cap. LXXX. p. 569.

Nicolaus Tulpius 1) hanc operationem bis se vidisse et fungum ejus loci a Bernardo Ollulario, chirurgo dexterrimo, sine ullius partis offensâ, non secus ex vulva excisum esse narrat, ac si sub dio, et in loco maxime obvio scalpellum suum duxisset; addit autem: „sed artis est, talem sectionem vel audere, vel rite perficere in tam obscuris tenebris."

Heisterus, 2) auctrice Siegismunda, obstetrice Brandenburgica, polypum forfice longiore sed retusa resecare, et si paullo grandior fuerit, quam ut integer extrahi posset, vel digitis vel scalpello quodam falcato longiore, vel et unco eum quam cautissime discerpere atque sic particulatim extrahere suadet.

Plures etiam hujus operationis feliciter peractae exstant observationes. Water, commemorante Levreto 3), talem observationem in dissertatione sua, de sarcomatis ex pudendis sectione, narravit. Herbiniaux 4) polypum, qui ligatus symptomata tam urgentia excitavit, ut ligaturam desumere coactus esset, feliciter exsecuit. Ita et Thomasius, Cailhava, Collinus, Vacoussanius, Froumantanius, Melleraud, Manneus, Guiotus, Thoumanus polypos antea ligatos amputavere 5). Fynney 6) polypum non ligatum sectione exstirpavit, et haemorrhagiam parcam insequentem Vitrioli coerulei ope sedavit.

Levretus 7) vero, innixus Zacuti Lusitani observationi, quae ut §. II. Nota 31ma, jam monui, accuratius pensitata vix in polypo videtur instituta, hanc methodum, quod haemorrhagia inter eam ex arteriis polypi laesis exorta, mortem adducere posset, omnino rejecit, in ejusque locum deligationem substituit.

Vix quidem, quam Levretus pertimescebat, haemorrhagia, sed potius modus, quo tum haec excisionis operatio perfici solebat, scalpelli potissimum usus,

1) Nicolai Tulpii, observationes medicae. Lugd. Batav. 1716. lib. VII. C. XXXIII. et XXXIV.
2) Laurentii Heisteri, institut. chirurg. l. c.
3) Water, dissert. de sarcomat. ex pudend. sect. 1728. (Levret, Kunst d. Geburtsh. p. 239.)
4) Richter's, chir. Biblioth. II. 1. p. 83.
5) Levret, Kunst d. Geburtsh. 2. Th. observat. II. V. VI. VIII. IX. X. XII. XV. XVIII.
6) Med. and philosoph. Comment. by a society of Edinburgh. Vol. IV. (Richter's chir. Biblioth. V. 1. p. 72.)
7) Levret, Kunst d. Geburtsh. II. p. 240.

usus, hoc in loco minime idoneus, eam ob facillimam interiorum genitalium partium laesionem, maxime reddidit arduam et periculosissimam. Quid igitur mirum, omnes tum et Chirurgos et obstetricatores Levreti sententiam promtissimo animo amplexos, methodum lubentissime sequutos esse? — Serior tamen experientia, ligaturam solam ubique haud sufficere, clarissime demonstravit, et Richterum, 1) Starkium, 2) Nissenium, 3) Callisenium, 4) Sabatierum, 5) Jörgium, 6) Bellium, 7) ut certas conditiones determinarent, adegit, quibus obtinentibus excisio necessaria esset. Ita et Eichhornius 8) hanc operandi methodum resuscitat, quam Zangius 9) quoque tum commendat, si polypi petiolus tenuis, tendineus, porro si uterus simul est inversus, tandem si partes genitales adeo sunt ad vulnerationem prona, ut instrumentum diutius relictum earum laesionem ac inflammationem traumaticam pedissequam non adducere non possit: suadet tum polypum forcipe huic rei adaptata, leniter attrahere et forfice, illi, qua Schmittius ad linguae ligamentum incidendum usus est, simili, sed paullo majori magisque curvata exsecare. Et novissime Carus 10) quoque hanc methodum, quod tute, celeriter, ac sine multis doloribus perfici posset, palam laudavit, similemque hunc in finem proponit forficem. Ejusmodi forficis ope Herrmannus Bluhmius, 11) medicus Revalensis polypum, cujus deligationem incassum tentavit, feliciter exstirpavit. Steinius etiam, ut Sömmeringius 12)

1) Aug. Gottl. Richter, Anfangsgründe d. Arzneik. I. Götting. 1787. p. 415.
2) Stark, Archiv. I. 3. p. 18.
3) Nissen, diss. cit. p. 35.
4) Callisen, System d. neuern Wundarzneik. übers. v. Kühn. Kopenhag. 1791. II. p. 218.
5) Sabatier's, Lehrbuch für prakt. Wundärzte I. p. 300.
6) Jörg, Handbuch d. Krankh. d. menschl. Weibes Leipz. 1809. p. 516. §. 557.
7) Bell, Lehrbegriff der Wundarzneik. VII.
8) G. C. Eichhorn, diss. inaug. de polypis, speciatim de polypis in antro Highmori. Götting. 1804. p. 22.
9) Zang, Darstell. I. p. 442.
10) C. G. Carus, Lehrbuch d. Gynaekologie 1. Th. Leipz. 1820. p. 33.
11) Stark, Archiv III. 3. p. 593.
12) Baillie Anatom. d. krankhaft. Baues v. einig. d. wichtigst. Theile im menschl. Körper v. Sömmering. p. 215.

narrat, eadem methodo usus esse dicitur, nec non Osiander 1) in virgine viginti octo annorum, pudendo ac vagina valde angustis praedita, uteri polypum sectione sustulit.

Plura tandem Ill. Eliae de Siebold, 2) praeceptoris mei aestumatissimi, experimenta hac in re capta, optimoque eventu stipata, hujus operationis praestantiam extra omnem ponunt dubitationem.

Instrumentum, quo Ill. Sieboldius utitur, forfex est, in S fere romani speciem curva, cujus et laminae secundum latitudinem suam, et ansa inflexa, sunt, in apice obtusa, rotundata et pro polypi sede varia vel novem vel decem et dimidium pollices Parisios longa et vario modo incurva. (v. Fig. I. II. III.)

Operatio ipsa sequenti perficitur ratione: Situs aegrotae, medici sedes, omniaque alia praemittenda eadem sunt, ut in deligatione descriptum fuit. Qui operaturus est, laevae manus duos, aut si altius haeserit polypus, plures digitos oleo inunctos in vaginam ad polypi usque petiolum immittit, altera tum manu, secundum hosce digitos, forficem itidem oleo inunctam, ad eandem caute ducit altitudinem, tumque, ne multum forficis membra diducere necesse sit, minusculis tantummodo secturis, presse sub digito factis, petiolum paullatim perscindit, polypumque mox vel manu, vel si nimius fuerit, forcipe ad id accommodata e vagina educit. Forficem hunc in finem quam accuratissime et diligentissime esse debere fabricatam, nulla indiget mentione; — qui operationem suscipit, de forficis praestantia certus sit necesse est, nulla tum adest in perscindendo difficultas, nulla pressio oritur superflua ac nocens, et si tamen parva quaedam, in omnis vel optimae forficis usu haud evitanda pressio, exiguam hoc in loco inflammationem ac suppurationem suscitet, haec adeo abest, ut valde sit timenda, ut potius ad perfectam petioli depulsionem multum contribuat. Ceterum curvatura quae in forficis ansa est, externarum partium genitalium compressio maximam partem prae-

1) Osiander, Handbuch d. Entbindungsk. 2. Abtheil. Tübing. 1819. p. 453.

2) E. de Siebold, in priori jam libri sui de cognoscendis et curandis mulierum morbis editione a. 1811. (Th. I. §. §. 784. 785.), sibi polyporum per forficem resectionem haud displicere, innuit; in editione vero, quae nuperrime prodiit, §. 830. 833. operationem palam defendit et commendat.

cavetur, ut et integra operatio multo redditur expeditior. Quae ideo notavimus, ut objectionibus a Haukio 1) hac ratione factis, responderemus.

Quam Herbiniaux 2) jam proposuit et novissime Zangius 3) commendavit polypi, ut facilior daretur forfici ad petiolum accessus, forcipis parvuli ope protractio omnino est respuenda, quippe quae violentia est nimia, utero vel inversionem vel prolapsum inducere valens, quid quod instrumentum protrahens, in loco tam angusto relictum, inter operationem magno incommodo non esse non possit.

Mox ab operatione, praesertim si uteri cavum a polypo praegrandi fuerit extensum, acetum dilutum in id syphone injicere, nec non spongiam communem, in cylindrum efformatam, itidemque aceto imbutam, turundae loco inducere convenit; sanguinis profluvium fortius, quamquam experientia serior, vix pertimescere permittat, si tamen contigerit, aceto meraco frigido per syphonem infuso, et pulvere styptico, quem turundae superaddideris, tempestive profecto sedabis. Operationem vix non semper symptomata inflammationis levioris, tum ex genitalibus inter operationem pressis, tum ex loco vulnerato originem ducentis, sequi solent: facillime autem quiete, victu tenui, ad summum methodo antiphlogistica mitiori removentur. Inflammatione mitigata, vulneris suppurationem simulque polypi portiunculae forte relictae, depulsionem, Infusi cicutae et hyoscyami injectiones, per aliquot dies frequenter tepide institutae promovebunt, omnique tandem curae injectiones leniter adstringentes, aromaticae, roborantes, nec non methodus roborans universalis finem imponent aptum.

Haec operationis methodus multo est simplicior et facilior deligatione, quae non tantum tironibus ac parum exercitatis, sed, ut ipse in Charitatis nosocomio oculis meis vidi, utque ex narratione aegrotae in observatione secunda adducta patet, ipsis in arte principibus exercitatissimis, instrumentorum aptissimorum usui dexterrimo, difficultates saepenumero opponit ingentes, vix nonnunquam superandas. Operationem autem nonnisi ab obstetricatore, certe ab eo tan-

1) Rust, Magazin IV. p. 453. (ad 2.)
2) Herbiniaux, parallèle (Richter's, Bibliothek II. 1. p. 82.)
3) Zang, Darstell. I.

tum, qui digitis suis in his tenebris uti probe didicerit, suscipi posse, monuisse supervacaneum duco.

Quae deligationem sequuntur molestiae, urinae difficultates vehementes, profluvii foetor teterrimus, quae, etsi quidem, quemadmodum acutissime adnotavit Haukius, 1) haud sint lethales, tamen aegrotam diu jam exagitatam, omnesque ejus contubernales quam maxime excruciant, in sectione omnino desunt.

Sanatio multo sequitur celerius; nam, si deligaveris, post 6 — 8 dierum spatium eo nonnisi deventum est, ubi statim post sectionem absolutam res consistunt. Conditio uteri statim post operationem potest explorari, et remedia quae fors requirantur, tum externa tum interna, multo, quam si deligatio instituta fuerit, maturius in usum licet vocare. Nec a verisimilitudine abludit, petioli putredinem post deligationem orientem, uterum multo pejus afficere, quam laevis post secturam suppuratio. — Quod vero attinet dubium, a Caro excitatum, posse nempe post recisionem polypum facilius, quam post ligaturam regenerari, — id nequaquam timendum esse arbitramur. Experientia quidem nihil hic potest effici, quippe quae in sectura hac ratione existere nondum potest; sed partim polypos deligatos renatos esse constat, partim ipsa loci, ubi polypus haesit, post suppurationem citatricis ope major consolidatio polypi reditum magis arcere, quam allicere videtur.

Tandem et inter sectionis virtutes id numerare haud dubitamus, posse eam perfici citra omnem aegrotae denudationem, quod, etsi Haukio minimi esse momenti visum sit, ab aegrota tamen ejusque propinquis maximi aestimatur.

Ex quibus omnibus affatim mihi elucere videtur, sectionem in universum ligaturae esse anteferendam, et nonnisi ab arteriae in polypi petiolo percepta vibratione et a petiolo nimis crasso, in cujus interioribus vasa majora possent latere, vetari. Sed et tum polypus antea deligatus presse sub ligatura abscindi potest, qua ratione omnis certe cura celerius quam sola deligatione perficietur.

---

1) Rust, Magazin IV. p. 448.

Observationes polyporum uteri forfice exstirpatorum.

I.

N. vidua 51 annorum, Postampii habitans, prioribus annis tres proles feliciter enixa est, ex anno variis molestiis haemorrhoidalibus, leucorrhoea et frequenti metrorrhagia laborabat, quo, qua antea gavisa est, sanitas firmissima paullatim evertebatur. Medici malum ex menstruis, jam in perpetuum recedentibus derivant, itaque curant, dónec exploratio instituta, in utero polypum includi, prodiderit. Ill. de Sieboldius, cujus opem aegrota mense Majo a. 1817 expetiit, polypum ex uteri orificio tumido, varicoso, maximam partem jam egressum et parieti anteriori affixum invenit, mox exstirpationem proponit, quae autem fuit recusata. Sub finem vero mensis Junii aegrota, sibi ex aliquot diebus plurimum sanguinem ex vagina aufugisse, chirurgum polypi deligationem incassum tentavisse, nuntiat, et auxilium antea repudiatum, ut quam citissime feratur, enixe rogat. Quare Ill. de Sieboldius d. 28. Junii, me comite Postampium se contulit moxque postquam advenerat, polypum modo supra laudato exsecuit. Ob altam ejus sedem quatuor digitos in vaginam inducere necesse fuit, inde solito plures dolores: 10 — 15 horae partes sexagesimae ad operationem perficiendam suffecerunt, nulla haemorrhagia pedissequa. Acetum dilutum injectum, spongia in vaginam intrusa. Vesperi aegram leviter febrientem reliquimus, methodus leniter antiphlogistica commendata. Die sequente infusum hyoscyami et cicutae tepide injectum; die tertia mulier lectulum et octiduo elapso omnino sana et vegeta domum reliquit.

Polypus pugnam minorem mole aequat, albus, satis solidus omnino destitutus vasis: superficies laevis: petioli diameter unius fere pollicis.

II.

Uxor Hansmanni, qui in ecclesia hac in urbe St. Sophiae dicata, cantoris, ut dicunt, fungitur munere, 31 annos nata, crinibus badiis, temperamento vivace, irritabili praedita, optima semper sanitate, menstruisque legitimis gavisa, ter proles vivos secundum naturam peperit, et anno 1814 trium mensium, ut videtur, abortum fecit. A mense illius anni Octobri inde metrorrhagia frequenter tentabatur, quae una cum aliis molestiis a polypo uterino producebatur. Aegrota tum, suadente obstetrice, quae prima polypum detexerat, opem imploravit duorum omnibus notissimorum pariterque aestimatorum medicorum, qui praeprimis ob felicem hujus morbi curationem magnam sibi paraverunt famam: Professorem Ribkium et Doctorem Haukium dico 1). — Polypi deligatio sub initio Januarii A. 1815 ab his suscepta, narrante aegrota, nonnisi post unius et dimidiae horae labores maximos, doloribus aegrotae atrocissimis, sanguinis dispendio plurimo, ita ut mortis periculum ipsis medicis adesse visum sit, et postquam bis sine fructu fuerit tentata prospere successit. Altera post operationem die dolores in genitalibus vehementissimi, urinae difficultates propemodum intolerabiles, aptis vero medicaminibus mox fugatae. Die sexta mane polypus inter sternutationem decidit 2): paucis horis post Dr. Haukius explorans aegrotam nuntio de alterius polypi praesentia ad desperationem fere adegit: et, ut si protrusus fuerit et hunc deligare possit, medicamina propinavit pellentia, quae vero, cum febrem fortissimam, sanguinisque ad caput congestionem concitassent, denuo seposita, ipsaque nunc polypi praesentia ab Haukio negata fuit.

---

1) Aegrotae nomen, ipsa benevole permittente, indicavi, medicorum vero, qui operationem instituerunt, ideo palam feci, ut, cum utriusque in deligandis polypis dexteritas eximia hac in urbe neminem lateat, eo magis inde sectionis praestantia eluceret.

2) Mira sane est inter hanc nostram aliamque ab Haukio (Rust, Magazin II. 2. p. 299 §. 18.) narratam historiam similitudo. Eadem in utraque aegrotae nominis littera initialis, eadem aetas, eadem viri conditio, idem operationis primae tempus, verbo, cuncta conveniunt juraresque de eadem utrobique agi muliere, nisi Haukius, operationem facillime et prosperrimo cum eventu successisse, et alterum quoque polypum a se deligatum fuisse, apertis narraret verbis. Quare lectores monitos velim, ne tanta obtinente similitudine fallantur, resque, uti quidem videtur, toto coelo diversas, confundant.

Aegrotae jam tum interne tum externe roborantia exhibita, iter in balneum factum, absque ullo vero effectu; profluvia enim pristina tum sanguinolenta, tum mucosa, inter animi deliquia rediebant, debilitas inde aegrotae in dies aucta, donec sub septembris a. 1817 finem inter magnum sanguinis profluvium polypus, ut ipsa aegrota ex nota dolorum ratione cognovit, ex utero in vaginam descenderit. Aegra jam, quod, ut dixerat, mortem potius, quam secundam deligationem perpeti mallet, Ill. de Sieboldii opem imploravit, qui polypum Calend. Octobr. A. 1817. me praesente exsecuit. Operatio sextam horae partem durans, sane, quod ob altam polypi sedem, prope ad uteri fundum, quatuor digiti inducendi fuerant, haud vacua fuit doloribus, qui tamen ipsa aegrota confitente, cum illis inter deligationem perpessis, nullo modo potuerunt comparari, nulla post operationem haemorrhagia; cura consueta; sexto die lectulum, decimo quarto cubiculum deseruit aegrota; Calend. Novembr. primo parcis menstruis, omni quarta hebdomade recurrentibus, indeque ad hunc usque diem optima gaudebat, gaudetque sanitate.

Polypus mali Borsdorfiensis mole, albus, solidus, in centro parvam habuit cavernam, liquore lymphatico spisso refertam; nulla vasa; petiolus pollicis ambitu.

III.

Elisabetha G., Berolinensis, virgo, parva, vivida, capillis fuscis praedita, 25 annos nata, infans variolas et scarlatinam felix devicit, ab anno aetatis decimo quarto inde menstruis purgabatur, ab initio jam ut et in posterum semper copiosis, quo tota nutritio labefacta medicorum auxilium, nullo autem effectu prospero medicamina propinata insequente, reddidit necessarium: Anno aetatis vicesimo secundo, fluor albus se adjungebat copiosus; vertigo etiam frequens, animi deliquia, alvi obstinatio pertinax indies magis magisque infestabant, donec tandem mense A. 1818. Septembri ingens metrorrhagia explorationi vaginali dederit occasionem, qua polypus, omnium malorum origo, inventus fuit. Consueta praeparatione praemissa, die 13. Octobris Ill. de Sieboldius me praesente operationem suscepit, quae ob genitalia angustissima hymenque illaesum multas difficultates, multosque creavit dolores; spatio tamen decem minutorum perfecta, nul-

lum sanguinis profluvium habuit pedissequum. Cura consueta. Exploratione post octiduum instituta, duo parva excrescentia polyposa in anteriori portionis vaginalis labio detecta, argento nitrico fuso fistulae incurvae ope ad illa conducto paucis diebus ablata sunt, ita ut post 14 dies sanitas rediiset perfectissima, quali nunquam antea fruebatur: menses quavis quarta hebdomada moderati recurrunt. Ipsum hymen, ut mihi narravit Ill. de Sieboldius operatione dilaceratum non fuit.

Polypus, qui uteri cervici adhaesit, magnitudinis est nucis regiae, superficiei hinc inde incisae, ita ut species oriatur sepiae; contextus uti antea descriptis aequabilis, satis firmus, vasis destitutus; petiolus digito crassitie similis.

IV.

Johanna F. ludimagistri in oppido Schwedt uxor, annos 28 nata, procera et robusta, ante hunc morbum sanissima, ex undecimo anno menstruans, duos infantes vivos sine multa difficultate peperit; ex tribus fere annis frequenti haemorrhagia, quin ullius causae occasionalis sibi sit conscia, laborabat, multumque inde pedetentim emaciabatur. Medicamina in urbe patria exhibita, cum nihil profecissent, die Martii secunda a. 1819 Berolinum petiit, ut Ill. de Sieboldii consilio uteretur. Eadem die inter ambulandum, inter eximium pressionis sensum polypus in vaginam descendit. Die Martii septima nulla cum difficultate, sine doloribus notabilibus, nullaque haemorrhagia insequente resectus fuit, et post decem dies aegrota sanissima jam domum remigravit.

Polypus rotundus, parvi mali ambitus, solidus, firmus, absque vasis, superficies laevis, petiolus digiti crassitie.

V.

Dorothea B., sartoris uxor, Berolinensis, 45 annos nata, ab aetatis anno decimo quarto inde menstruans, semel tantum ante septemdecim annos impraegnata fuit: partus facilis; infans vivus. Ex novimestri continuum ex genitalibus sanguinis mucique profluvium nullo omnino dolore stipatum, reliquam parum laeserat valetudinem, praeter appetitum imminutum. Faciei color pallidus. Causa pro-

profluvii polypus, parieti uteri anteriori affixus, qui cum scholam nostram clinicam adiisset aegrota, jam in vaginam descenderat. Junii anni praeteriti die secunda, multis auditoribus praesentibus ab Ill. de Sieboldio, non sine magna difficultate, ex vaginae prolapsu oriente, sectione ablatus est, quin haemorrhagia insequuta sit: nulla etiam postea inflammationis symptomata. Fluor albus, qui ex genitalium partium laxitate dependens, post operationem residuus fuit, amaris internis et adstringentium injectionibus curabatur. Die Junii 29. menses primo legitime apparuerunt; aegrota optima adhuc fruitur sanitate.

Polypus cylindricus, pollicem fere longus, solidae texturae, perscissus cavernulas sanguine plenas offert; petiolus digitum parvum crassitie aequat.

VI.

C. Th. Berolinensis, mulier 44 annorum, robusta, bene nutrita, crinibus bruneis, ab anno aetatis decimo quarto modice menstruans, quinquies legitime peperit, postremo ante annos septemdecim; et ex pluribus jam annis omni inter concubitum caruit voluptate. Per ultimum biennium purgatio menstrua copia nimium excedebat, ita ut mense anni praeteriti Januario ad medicorum auxilium confugere necesse fuerit. Haemorrhagiae per 8 — 9 dies tum vexanti, aegroamque summopere debilitanti mense Junio succedebat fluor mucosus sanguine mixtus, tempus inter quamvis menstruationem explens; obstructio etiam alvi pertinax, dolores in genitalibus, quales fere in partu esse consuescunt, simul affligebant. Plures hujus urbis medici artem suam medicaminibus acidis, adstringentibus, tonicis praescribendis incassum experiebantur, aegrotae infirmitate paulatim ita aucta, ut ultimis sex hebdomadis lectulo relinquendo non amplius fuerit par, et frequentia animi deliquia post sanguinis profluvia insequuta sint. Die Decembris trigesimo primum eam videns exploransque, causam longae haemorrhagiae, polypum videlicet inveni, uteri fundo proxime adhaerentem, satis longo petiolo instructum et ex laxo jam et patente orificio in vaginam degressum. Aegrota ad operationem a me propositam mox parata, polypum primo hujus anni mane, Ill. de Sieboldio et Doctoribus Hoere, Wilhelmo, et Lessmanno praesentibus, forfice majore resecui. Ob altam petioli insertionem, ut eam attin-

gerem, quatuor digitos inducere debui; nihilominus vero partibus genitalibus et laxis et muliere haud nimis tenera, operatio parum dolorifica fuit, spatio quinque horae partium sexagesimarum perfecta, ne guttula quidem sanguinis eam sequente. Uterus statim post operationem ad justum volumen se contraxit: spongia aceto diluto imbuta vaginae intrusa fuit. Vesperi levis febricula, vagina inter explorationem paullum dolorifica; emulsio hinc oleosa nitri drachma condita, praescripta. Nocte sequente dolores in abdomine, colicae magis, ut videtur, indolis; sedes nonnullae liquidae; utrumque vero malum calidis abdomini impositis epithematibus cessit. Emulsio oleosa cum aegrotae taedium crearet, et aliqui adhuc superessent motus febriles, Kali propinatum aceto saturatum et aqua dilutum. D. 3. Januarii nullum febris ac dolorum vestigium; ex orificio adhucdum aperto, liquor puriformis exibat: injectiones hinc infusi cicutae, hyoscyami et florum Chamomillae ter de die tepidae institutae et ad diem usque sextam Januarii continuatae. Aegrota, nisi quod appetitus deficeret, magnaque esset debilitas, ex longa haemorrhagia dependens, bene valebat. Infusum jam tenue Valerianae propinatum cum extracto trifolii fibrini; Salviae infusum in vaginam injectum: profluvium parcius, limpidum. — D. Jan. 8. infusum Quassiae cum Tinct. Rhei aquosa praescriptum: appetitus acuitur, vires paullatim redeunt; profluvium imminuitur. D. Jan. 11. lectulum reliquit: decoctum Chinae. D. Jan. 23. molimina menstrualia, quibus die sequente sanguinis effluvium, ad d. Jan. 27. usque parca copia continuatum, nullisque molestiis stipatum, est insequutum. Portio vaginalis denuo rite conformata firmitatis consuetae et indolens est; oris uterini labia vix non penitus sese contingunt. Aegrota adhuc China utitur, cui mox Ferrum substituemus; hacque ratione, quae per totum annum incassum curabatur, ita ut vix non omnem sanitatis recuperandae perdiderit spem, mox integritati pristinae restitutum iri jure speramus.

Polypus ovum gallinaceum parvum aequat, intus aequabilis, lardo similis, lbus, vasis omnino destitutus; petiolus pollicis crassitie.

Tabulae Explicatio.

'ig. I. Forficis Sieboldianae majoris, tertia parte abbreviatae, pagina anterior.

'ig. II. Eadem forfex a latere conspecta, ut varia tum membrorum, tum ansae, curvatura pateat.

ig. III. Forfex minor, a latere conspecta, cum membrorum curvatura minus insigni.

ig. IV. Instrumentum ad deligandos polypos, tertia parte naturali magnitudini demta.

A. A. Fistulae, ope vaginae B conjunctae.

a. a. a. Pars earum teres, cylindrica, calami crassitie.

b. b. Fines earum superiores, supra fornicati, utrinque aperti, recipiendo filo deligatorio destinati, quod una cum stylo retinente ibidem cernitur.

c. c. c. c. Partes fistularum quadrilaterae ambae.

d. d. Styli longiores ceterum in fistulis latentes.

e. e. Ansae eorum.

B. Vagina s. theca.

C. C. C. C. Filum deligatorium, supra (b.) a stylis retentum, infra (h) per foramen in trochleae arcu ductum, cylindro (l.) circumvolutum, una cum globulis ejus eburneis.

D. Trochlea.

ff. Ejus ansa.

g. Uncus (Sperrhaken) ad retinendam rotam dentatam (Stellrad).

i. Lamina convoluta elastica ad uncum apprimendum.

k. k. Arcus trochleae.

ota. Rotae dentatae ac unci, utpote quae ex Ribkii ac Boucheri figuris nota sunt, proprias imagines exarare supervacaneum duxi.

Addenda et Corrigenda.

Cum ultimae jam dissertationis pagellae sub prelo sudarent, ad manus mihi venit opus de polypis recentissimum 1): quod etsi, quoad polypos uteri, vix quidquam habeat novi, multa etiam satis nota omittat, plurima tamen suppeditat, graviter reprehendenda. Spatii vero angustia coacti, operationum tantummodo rationem hic loci possumus habere. Auctor sectionem, de qua nonnisi perfunctorie egit, vix non penitus rejicit, gravibus, ut ait, permotus argumentis, de quibus jam videamus.

1) „Sectio et in illis, qui facillime deligari possunt, polypis, quia, cum intra genitalia culter dirigi nequeat, e vagina violenter protrahi debent, periculosa fit.“ — Nihil ejusmodi timendum esse ex operationis descriptione supra a nobis data elucet, cum nec protractio locum habeat, nec culter adhibeatur.

2) „Haemorrhagiae oriri, imo mortem inducere possunt.“ — Objectio, cui supra jam a nobis obviam est ventum, in auctore nostro, quippe qui vasa polypi negat, satis mira.

3) „Insignis saepe uteri vel vaginae portio, cui polypus insidet, ejus gravitate detracta, intra petiolum suscipitur, quo igitur perscisso, illa simul portio exsecatur, et foramen oritur.“. — Quod vero, in polypis saltem uteri nullo modo potest fieri: primo enim petiolus nunquam est, ut tum esse deberet cavus, sed semper solidus; deinde nec particula uteri ita potest protrahi ac attenuari, ut ejusdem fieret cum petiolo ambitus, hujusque videretur continuatio, sed semper major quidam uteri circuitus invertitur, et tandem, cum sectio nonnisi pedetentim fiat, prima jam uteri forfice compressio ea excitaret symptomata, quae operantem vel a prima sectura neccessario retinerent. — — Haec sunt argumenta, profecto parvi pendenda, quibus innixus sectionem ideo potissimum rejecisse videtur, ut deligationem et praesertim Jörgii instrumentum (quod falso credit novissimum) eo majoribus possit efferre laudibus, ita exaggeratis, ut melius et in posterum posse excogitari instrumentum, quod ceterum ipse jam emendat, valde dubitet. Quantum igitur mirabitur, cum fortuito quondam in descriptionem inciderit instrumenti Ribkiani, plurimorum consensu Jörgiano praestantis, in Rustii diario ex aliquot jam annis depositam!

---

1) Dr. Fr. L. Meisner, über die Polypen in den verschiedenen Höhlen d. m. Körp., nebst e. kurz. Gesch. d. Instrum. u. Operationsarten: mit e. Vorrede v. Dr. Jörg. Leipz. 1820.

Pag. 13.	lin. 20.	loco:	solidor	—	lege	solidior.
— 16	— 4	—	nuuquam	—		nunquam.
— 16	— 21	—	quamprimum	—		cum primum.
— 16	— 25	—	conseuti	—		consueti.
— 17	— 18	—	tune	—		tunc.
— 21	— 19	—	commoveri	—		commovere.
— 42	— 5	—	ambito	—		ambitu.
— 42	— 6	—	quam	—		quae.
— 42	— 7	—	reliquatur	—		relinquatur.
— 47	— 10	—	syphone	—		siphone.



Fig: I.
Fig: II.
Fig: III.
Fig: IV.
A.
B
C.
D
a.
b.
c
d
e
f
g
h
i
k